This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

878
E590
W48

ENNIANA.

ENNIANA.

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

W. VAN DER VLUGT,
IUR. UTR. DOCT. ET IN FAC. IUR. PROF.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITERARUM ET PHILOSOPHIAE
DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

WIECHERT WERFF
NATUS IN URBE KAMPEN

DIE XXVIII MENSIS NOVEMBRIS ANNI MDCCCCII, HORA III.

CAMPIS
APUD VAN HULST EN VOS.
MDCCCCII.

878
E590
V.4

Ex officina typographica LAURENS VAN HULST.

INDEX.

De nonnullorum Annalium librorum argumentis PAG. 1
Ad Propert. III, 3 (ed. Baehrens) . . . . . „ 56
Ad Fabii Praeconium (Cic. Cat. M. 4, 10) . . „ 59
Ad Ann. 348—353 (ed. L. Mueller) . . . . . „ 61
Ad Ann. 428 sq. („ „ „) . . . . . „ 63
Ad Persii Satir. VI, 9 sqq. . . . . „ 67
Merula Annalium fragmentorum auctor . . . „ 70
Ad Ambraciam . . . . . „ 72
Theses . . . . . „ 75

142565

DE NONNULLORUM ANNALIUM LIBRORUM ARGUMENTIS.

Fortasse haud inutile opus erit, si virorum doctorum opinionibus accurate perpensis denuo constituere conabimur, quaenam rerum Romanarum pars singulis Ennii Annalium libris adscribenda sit. Nunc non libros I—VI specto, quia constat fere, quae in hac carminis parte cecinerit poeta. Sed de ceteris libris agendum erit, praesertim quia Vahlenus in disputatione, quae inscripta »Ueber die Annalen des Ennius" inveniri potest in »Abhandlungen der königlichen Akademie der Wissenschaften zu Berlin aus dem Jahre 1886", de multis rebus ad hosce libros pertinentibus longe aliter iudicavit, quam qui ante eum annum Ennii Annalibus studuerunt. Cuius commentationis titulum quamquam in operum ad Ennium pertinentium indice collocavit Annalium fragmentorum recentissimus editor, L. Valmaggius [1]), tamen in commentario eam silentio praeteriit. Quotienscumque enim Vahleni alicuius opinionis mentio ibi facta est, editio eius anni 1854 spectatur [2]).

1) Q. Ennio. I frammenti degli Annali editi e illustrati da Luigi Valmaggi. Torino 1900. Vid. de hac editione: Berliner Philologische Wochenschrift 1902, p. 295.

2) Ennianae poesis reliquiae. Recensuit Ioannes Vahlen. Lipsiae 1854.

Qua ex re utrum concludendum sit Valmaggio non probari eas res, ad quas illa disputatione pervenit Vahlenus, an alia sit silentii causa, dirimere non ausim. Ceterum utcumque se res habet, propter auctorem digna est, in qua paulisper commoremur.

Vahlenus duos locos exhibet, quorum alter exstat apud Gellium (17, 21, 42), alter apud Macrobium (VI, 1, 23). Illic legimus: »Claudium et Tuditanum consules sequuntur Q. Valerius et C. Mamilius, quibus natum esse Q. Ennium poetam M. Varro in primo de poetis libro scripsit eumque, cum septimum et sexagesimum annum haberet duodecimum annalem scripsisse, idque ipsum Ennium in eodem libro dicere."

Macrobius l.l. haec habet: »Ennius in duodecimo [1]):

Unus homo nobis cunctando restituit rem."

Vahlenus Macrobium ceteros quoque præconii Fabii versus, qui sunt:

Noenum rumores ponebat ante salutem.
Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

citantem fecit; hos tamen legimus apud Cic. Cat. M. 4, 10 et de Off. I, 24, 84.

Et alii viri docti et ipse Vahlenus, cum fragmenta in lucem edebat, numerum XII apud Gellium non spurium esse non posse putabant, quia non probabile esse videretur Ennium annis 172—169 libros XII—XVIII scripsisse. Item eundem numerum in Macrobii manuscriptis perperam scriptum esse contendebant, quia in libro XII primi belli

1) Cod. Salisb. praebet: „in VII."

Macedonici (200—196) finem et quomodo Græcia liberata sit, descriptum esse existimarent, ergo in eo libro de Fabio Maximo, bello Punico secundo insigni, loqui poetam non potuisse.

Contra in dicta commentatione Vahlenus probare conatus est numeros illos optime recipi posse. Duabus etiam rationibus numerus in Gellii loco laudato servari posse ei videtur: nam èt res gestas, a poeta in libro XII descriptas, ei occasionem dare, ut ad tempus, quo scriberet, alluderet, èt librum XII, si separatæ Annalium partis exitus esset, ei locum præbere, ut de se et de ætate sua loqueretur, potuisse.

Illud in hunc modum explanari posse putat Vahlenus: in libro XII belli Macedonici primi finis narrabatur et anno 172, cum Ennius auctore Varrone in hoc libro scribendo versabatur, manifestum esse potuit mox bellum cum rege Perseo, Philippi successore, Romanis ineundum fore. »Es wäre denkbar", sic legimus apud Vahlenum pag. 6, »dass Ennius bei Beendigung des Krieges mit Philipp einen Blick geworfen auf das, was in dem Augenblick, da er schrieb, sich vorbereitete, und dass er in diesem Zusammenhang Anlass gefunden hätte, seines Lebensalters zu gedenken. Allein mehr als eine blosse Möglichkeit ist dies nicht." Id quod acrius intuenti melius etiam apparet. Nam si fingeremus Ennium in libro XII ad bellum Persicum allusisse, hoc solum dicere eum potuisse probabile esset: »hodie quoque indicia cernuntur, quæ suspicionem movent mox rursus cum Macedonibus bellum futurum esse", vel talia. Unde Varroni efficere licuisset Ennium hoc scripsisse anno fere 172, eum ergo tunc temporis annos septem et septuaginta natum esse. Sed e Gellii verbis me iudice luce clarius est Varronem hoc voluisse Ennium in libro XII de se suisque annis verba fecisse. Quomodo autem eum id fecisse ad bellum Persicum alludentem statuamus, assequi nequeo.

Altera ratio data esset (ut vidimus pag. 3), si liber XII carminis partis finis fuisset. Vahlenus putat hac via nobis esse proficiscendum propter praeconium Fabii, cuius primum versum Macrobius l.l. e libro XII nobis servavit. Hoc fragmentum Merula [1]) in libro VIII collocavit. Vahlenus in editione sua libro IX adscripsit, Ennium versus illos scripsisse in Fabii mortis [2]) narratione putans, quia Livius (30, 26) quoque Fabii mortem commemorans laudationem illam Ennianam adhibuerit. Quod quomodo e Livii verbis effecerit, non perspicio. Ibi enim haec legimus: »Eodem anno Q. Fabius Maximus moritur exactae aetatis . . . . . ; et sicut dubites, utrum ingenio cunctator fuerit, an quia ita bello proprie, quod tum gerebatur, aptum erat, sic nihil certius est quam unum hominem nobis cunctando rem restituisse, sicut Ennius ait." Fortasse culpa est in me, sed fateor me non intelligere versus, de quibus agimus, apud Ennium in Fabii mortis commemoratione exstare debuisse, quia Livius ad eos in illo rerum contextu alluserit. Eodem iure e Cic. Cat. M. 4, 10 concludas licet Ennium hos versus in narrationem pugnae, in qua contra Hannibalem Fabius cunctandi arte sua usus est, inseruisse; ibi enim legimus: »Hic et bella gerebat ut adulescens, quum plane grandis esset, et Hannibalem iuveniliter exsultantem patientia sua molliebat, de quo praeclare familiaris noster Ennius: Unus homo nobis e. q. s." L. Mueller [3]) Merulam secutus in libro VIII

---

1) Q. Ennii, poetae cum primis censendi, Annalium libb. XIIX quae apud varios scriptores superant, fragmenta, conlecta, composita, inlustrata ab Paullo G. F. P. N. Merula. Lugduni — Batavorum 1595. — cf. p. 463 sq.

2) Mortuus est anno 203.

3) Q. Ennii Carminum Reliquiae. Accedunt Cn. Naevi Belli Punici quae supersunt. Emendavit et adnotavit Lucianus Mueller. Petropoli 1885.

fragmentum reposuit, in quo etiam apud Baehrensium [1]) et Valmaggium inveniri potest.

Sed in disputatione, de qua nunc agimus, numerum apud Macrobium servandum putat Vahlenus et, ut iam monui, hisce versibus commotus est, ut apud Gellium l.l. quoque numerum XII retineat. »Als Endbuch, sic disserit pag. 7, eines selbständigen Theiles der Annalen würde das XII. Buch dem Dichter wie zu einem Hinweis auf sein eigenes Leben, so zu einer rückblickenden Betrachtung der grossen Männer der Vorzeit Spielraum gewährt und in einer solchen die Verherrlichung des Fabius angemessenen Platz gefunden haben."

Dein ad hanc sententiam illustrandam fragmentorum seriem exhibet, quae partim ad eam libri XII epilogi partem pertineant, in qua de se locutus sit Ennius, partim ad alteram, in qua clarorum virorum memoriam repetierit.

Sic frustula collegit haec:

Moribus antiquis res stat Romana virisque [2]),

qui versus meo iudicio non nisi in oratione aliqua vel in totius carminis fine adhiberi potuit. Deinde versus, qui sunt:

Septingenti sunt, paullo plus aut minus, anni,
Augusto augurio postquam inclita condita Roma [3]).

quibus diversi loci assignari possunt. Sequitur versus M. Curium, bello Tarentino insignem, spectans:

Quem nemo ferro potuit superare nec auro [4])

---

1) Fragmenta poetarum Romanorum. Collegit et emendavit Aemilius Baehrens, Lipsiae 1886.
2) Ann. 425 (ed. L. Mueller).
3) " 423 sq.
4) " 214.

Dubitanter fragmentum »Scipio invicte [1])" addidit. In aliam partem haec congessit fragmenta:

Hic ut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit [2]),

de quibus versibus infra disputabimus. Sequitur versus, quo Romana se donatum esse civitate laetus exclamat poeta:

Nos sumus Romani, qui fuimus ante Rudini [3]).

Postremo hoc loco exstitisse versus putat, quos Servius spectabat, ad Aen. VII, 691 adnotans: »ab hoc (i. e.: a rege Messapo) Ennius dicit se originem ducere, unde nunc et cantantes inducit eius socios et eos comparat cycnis."

Quam incerta sit haec argumentatio, nemo non videt. Quamquam igitur Vahlenus p. 10 scribit: »So ergiebt sich, indem wir das Gerölle zusammensuchen, die Vorstellung eines reichhaltigen Epilogs dieses Buches, der mit dem Rückblick auf die Helden Roms ein Bild des Dichters verband," tamen statim addit: »Doch wieviel man von dem, was ich zur Verdeutlichung meiner Vorstellung zusammenlese, abziehen mag, immer bleiben die beiden aus dem XII. Buche citierten Bruchstücke übrig, die, soll die Ueberlieferung bestehen, eine Erklärung verlangen; und diese meine ich für beide gemeinsam darin zu finden, dass dieses Buch einen vorläufigen Abschluss des Werkes gebildet habe."

In transitu observo nihil prohibere, quin statuamus Fabii praeconium in libro XII a poeta scriptum esse, si

---

1) Ann. 345.
2) „ 481 sq.
3) „ 431.

facimus in oratione aliqua adhibitum esse. Ergo si cum Vahleno putas numerum XII apud Macrobium l. l. recte esse traditum, non obloquor, quamquam versus illos ibi potius exspecto, ubi Fabii laudes canere debuit Ennius, in libro igitur VIII.

Postquam quomodo fieri possit, ut Gellii et Macrobii locis laudatis numerum XII retineamus, ostendisse sibi visus est Vahlenus, restat, ut demonstret a libro XII carminis partem finem habuisse. Id quod hunc in modum facere tentat. Putat enim Ennium materiem historicam per trinos libros disposuisse ita, ut libri I—III continerent regum tempora, libri IV—VI bella Itala et Tarentinum, libri VII—IX bella Punica, libri X—XII bellum cum Philippo, rege Macedoniae, gestum et Graecam liberatam, libri XIII—XV bellum Antiochi et, quod ex hoc ortum erat, Aetolicum. De librorum XVI—XVIII argumentis nihil profert. Quam opinionem minime stabilem esse apparebit.

Sed fac veri esse simile: ideone statuendum est in ipsius libri XII fine, in quo non admodum gravis historiae Romanae pars descripta erat, Ennium fuse de suis rebus egisse et putasse ibi aptam sibi dari occasionem, ut rerum gestarum memoriam repeteret atque illustrium virorum censum ageret? Accedit, ut Vahlenus sibi persuasum habere videatur Annales inde a libro XVIII finem habuisse, id quod tamen nequaquam constat. Hoc quoque admittendum essset, si cum Vahleno faceremus Ennium librum XII tali epilogo instruxisse, qualem novimus, statuente, poetam, ad tempus certe, epos ad finem perductum esse existimasse atque in lucem edidisse, id quod, si huius rei rationem habemus secundum Vahlenum libros XIII—XVIII ultimo vitae triennio a poeta absolutos esse, non veri est simile. Hoc volo: si liber XII anno 172 scriptus est, fieri non potuit, ut sequentium librorum compositionem diutius differret Ennius.

Cur autem concedere non possimus hosce libros a poeta inde ab anno aetatis sexagesimo septimo scriptos esse, infra apparebit. Qua re sola demonstratum esset librum XII non anno 172, sed anterius scriptum esse, ergo certo certius esse apud Gellium l. l. numerum XII perperam traditum esse. Sed coniectura quoque Vahleni Ennium carmen suum in trium librorum partes divisisse, non ab omni parte certa esse videtur. Et si demonstrare possumus dispositionem illam non e mente Ennii fuisse, una dilabi Vahleni sententiam de carminis parte in libro XII subsistente deque poeta hunc librum eiusmodi epilogo, qualem vidimus, claudente, non est cur dicam.

Ut vidimus, Vahlenus, ut antea in editione sua, in libris VII—IX bella Punica descripta esse persuasum habet. L. Mueller primus fuit, qui de hac re alia proferret [1]). Putat enim belli Punici secundi narrationem decimum quoque librum occupasse. Mihi non monendum est, nisi opinionem, quam de libro duodecimo concepit, dilabi velit Vahlenus, ei antiquam rationem iam a Merula originem trahentem vindicandam esse. Tamen Muellerii opinionem non reiciendam esse videbimus. Primum enim admodum veri est simile Ennium multum fuisse in bello illo narrando, cuius eventus tanti momenti populo erant Romano; si praeterea statuimus huius belli descriptionem inde a libro IX finem habuisse, non capimus, quibus rebus narratis librum XII compleverit poeta [2]). Ut alii, sic Mueller quoque hanc quaestionem dirimi putat loco Ciceronis, quem legimus in Bruto, c. XV: »Quem vero exstet eloquentem fuisse et ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus, cuius

1) Quintus Ennius. Eine Einleitung in das Studium der römischen Poesie. St. Petersburg 1884. — cf. p. 169 sq.

2) Teuffelius quoque, Röm. Literaturgeschichte p. 158, ed. 1872, singulorum librorum argumenta paucis persequens post libr. XII posuit interrogationis signum.

eloquentiae est auctor, et idoneus quidem mea sententia, Q. Ennius; praesertim cum et ipse eum audiverit et scribat de mortuo [1]); ex quo nulla suspicio est amicitiae causa esse mentitum. Est igitur sic apud illum in nono ut opinor annali:

> Additur orator Cornelius suaviloquenti
> Ore Cethegus Marcus Tuditano collega
> Marci filius — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑⏑ — ⏑

et oratorem appellat et suaviloquentiam tribuit, quae nunc quidem non tam est in plerisque (latrant enim iam quidam oratores, non loquuntur); sed est ea laus eloquentiae certe maxima:

> — ⏑⏑ is dictust ollis popularibus olim,
> Qui tum vivebant homines atque aevum agitabant,
> Flos delibatus populi . . . . . .

probe vero; ut enim hominis decus ingenium, sic ingeni ipsius lumen est eloquentia, qua virum excellentem praeclare tum illi homines florem populi esse dixerunt »suadaeque medulla". At hic Cethegus consul cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo, — modo plane annis CXL ante me consulem."

Si Cicero hosce versus e nono citans annali non erravit, sequitur — quod Mueller quoque concedit — belli Punici secundi narrationem in eo libro substitisse, quia Cethegus anno 204 consul erat et post eius magistratum tres modo annos bellum duravit.

Sed Mueller non iniuria observasse mihi videtur facile fieri potuisse, ut Cicero erraret, idque e verbis *ut opinor* additis apparere. Secundum Vahlenum »dienen sie nur dem Scheine wirklichen Gesprächs und könnten im

1) Cethegus mortuus est anno 196; cf. Liv. 33, 42.

schlimmsten Falle nur beweisen, dass Cicero, der viele Verse des Ennius im Kopf hatte, nicht nachgeschlagen, nicht auch schon, dass er sich geirrt habe (pag. 15)." — Quid? si Cicero Annales ipsos non inspexit, nonne facile, quod ad libri numerum attinet, errare potuit? Et eum Ennium non inspexisse hac quoque ex re elici posse mihi videtur, quod numquam alias Ennii annales citans libri numerum addat; accedit, ut si nostro loco revera fecisset, ea quoque quae exstiterunt inter versum tertium quartumque, transscripsisset. Rationem citandi, qua nostro loco usus est Cicero, documento esse puto eum Ennium non adiisse, unde sequitur negandum non esse facile fieri potuisse, ut versus e nono esse annali dubitanter scribens erraret.

Ciceronem et alias perperam citavisse duobus exemplis allatis ostendit Mueller. Epist. ad Att. XII, 6, 3 hæc leguntur: »Tantumne ab re tua est oti tibi, ut etiam Oratorem legas? macte virtute! mihi quidem gratum est et erit gratius, si non modo in libris tuis, sed etiam in aliorum per librarios tuos *Aristophanem* reposueris pro *Eupoli*." Cicero enim, Orator 29, *Eupolim* scripserat, ubi *Aristophanem* debuerat. Quod ad erratum Atticus eius animum advertisse videtur.

Alterum exemplum invenitur Gell. N. A. XV, 6. —

Sed etiamsi numerum libri a Cicerone recte scriptum esse putas, nihilominus fieri potuisse admittas licet, ut belli Punici secundi narratio decimum quoque librum occuparet. Nam nihil impediebat, quominus Ennius ultimi huius belli triennii rebus gestis totum librum insumeret. Ad bellum Antiochi (192—189) describendum duorum etiam librorum spatio ei opus erat! Nonne fuse belli prosperos eventus commemoraverit? Si usquam, hic locus erat virorum eximiorum, qui hostem perniciosum ad extremum oppresserant, iterum monendi. Huic loco egregie conveniret præconium Fabii.

Fortasse aliquis rogabit: »quadrantne quae e libro decimo servantur fragmenta æque narrationi rerum ultimis belli Punici secundi annis gestarum ac Macedonici initio?" Responsum inveniet apud L. Muellerium l.l. — Nullum libri decimi frustulum eiusmodi est, ut belli Macedonici soli narrationi adscribi possit. Nam fragmentum *Leucatam campsant.*, quod Priscianus 906 e decimo libro citavit, duo codices libro XI tribuunt.

Porro quod a Prisciano 556 e libro X traditum est fragmentum:

> Insignita fere tum milia militum octo
> Duxit delectos, bellum tolerare potentes,

quos versus Merula composuit cum verbis Livii 32, 9 [1]), secundum Muellerium Scipionem minorem quoque spectare potest, qui auctore Livio 28, 46, 1 profectus in Siciliam est XXX navibus longis voluntariorum *septem ferme millibus* in naves impositis.

Si Merula verum vidit, apud Priscianum l. l. numerus X in XI mutandus est. Tamen non cauti esse critici mihi videtur, si tale fragmentum, quale est, de quo nunc loquor, conveniat cum loco aliquo Livii aliusve, ex illa similitudine efficere, in quo rerum contextu olim exstiterit. Certe summam adhibendam esse prudentiam fragmentum docere potest, quod nobis tradidit Priscianus:

> Omnis mortalis victores cordibus imis
> Laetantes, vino curatos somnus repente
> In campo passim mollissimus perculit acris.

---

1) § 1: Consulem T. Quinctium ita habito dilectu, ut eos fere legeret, qui in Hispania aut Africa meruissent spectatae virtutis milites e. q. s. et § 6: Et T. Quinctius maturius quam priores soliti erant consules, e Brundisio cum tramisisset, Corcyram tenuit cum *octo milibus* peditum equitibus octingentis.

Hoc enim fragmentum ad Histros post Romanorum castrorum, quibus praeerat consul anni 178 A. Manlius Vulso, expugnationem pelliculam curantes et, cum vino somnoque mersi essent, a Romanis oppressos (cf. Liv. 41, 2, 12 sq.; 4, 4 sq.) referre non dubitares, nisi apud Priscianum 647 et 696 e libro XII citatum esse invenires.

Ad sententiam suam stabiliendam haec addidit Mueller l. l. p. 170: »Auch passt die Stelle offenbar besser auf Freiwillige als auf gesetzmässig aus erprobten Veteranen ausgehobenen Soldaten, für welche die Bezeichnung *bellum tolerare potentes* sehr sonderbar wäre." Equidem non video, cur veteranos belli molestiis pares esse dicere non liceat.

Pag. 16 Vahlenus de versibus a Gellio 18, 9, 2 traditis:

> Insece, Musa, mihi, Romanorum induperator
> Quod quisque in bello gessit cum rege Philippo.

scripsit haec: »leider sind sie ohne Buchzahl angeführt". Ergo non omnino ei persuasum esse videtur belli Punici secundi memoriam in libro IX finitam esse. Nam si hoc constaret, quin versus illi in libri X initio locum habuissent, nemo dubitaret.

Ut modo dixi: mihi admodum veri simile esse videtur bellum Punicum secundum in tribus libris descriptum esse. Quod si revera factum est, Vahlenum iniuria contendisse poetam materiam suam per trinos libros disposuisse quivis intelligit. Unde hoc quoque sequitur eum perperam suspicatum esse libros I—XII separatam carminis partem fuisse et Ennium huic parti epilogum adiecisse, de cuius argumento iam satis disputavimus.

Sed etiamsi Muellerio concedere nolis in libro X belli punici secundi finem cecinisse poetam: aliis modis demonstrari potest Vahlenum numerum XII apud Gellium l.l. retinentem erravisse. Quominus enim Ennium anno demum 172 in libro XII scribendo versatum esse putemus, pro-

hibet Cicero, qui in orat. pro Archia 22 haec profert: »Carus fuit Africano noster Ennius, itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus ex marmore, cuius laudibus certe non solum ipse, qui laudatur, sed etiam populi Romani nomen ornatur. In caelum huius proavus Cato tollitur: magnus honos populi Romani rebus adiungitur. Omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii non sine communi omnium nostrum laude decorantur. Ergo illum, qui haec fecerat, Rudinum hominem, maiores nostri in civitatem receperunt: nos hunc Heracliensem, multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate eiciemus?" Unde luce clarius est Ennium civitate romana donatum esse, postquam Maximos, Marcellos, Fulvios in Annalibus suis celebraverat, ergo libros I—XV ante annum 184, si non in lucem editos, scriptos certe esse. Videbimus enim expeditionem Aetolicam, cui praeerat M. Fulvius Nobilior, amicus patronusque poetae nostri, in libro XV celebratam esse.

Risum movent, quæ Vahlenus pag. 37 in nota scripsit. Legimus ibi: »Was Cicero in der Rede pro Archia 9, 22 sagt, kann nichts beweisen. Wer daraus schliessen wollte, dass Ennius schon vor 570 (184) den grössten Theil seiner Annalen ausgeführt haben müsse, würde mit Varro in Collision gerathen, der ihn 582 (172) am XII. Buch arbeiten lässt." Quivis videt eodem iure in hunc modum disputari posse: »Qui numerum XII apud Gellium recte scriptum esse putat, Ciceronis loci vim ignorat, e quo sequitur maiorem Annalium partem ante annum 184 non perfectam esse non posse."

Cum sciamus, quam sæpe numerorum notæ vitiose traditæ sint (id quod profecto facile est intellectu), cautius esse mihi videtur, si Ciceronis auctoritatem pluris facimus, quam numerum aliquem apud Gellium inventum. Non enim hoc quæritur, Varrone recte citaverit, sed rectene

tradiderint libri numerum Gellii codices, id quod non ita se habere me ostendisse puto. Vahleno igitur disputationem in hunc modum finienti: »mir kam es darauf an, dem allgemein verworfenen Zeugniss des Varro über das XII. Buch zur Anerkennung zu verhelfen und (ich) meine diesen Zweck durch den versuchten Nachweis der Anlage und Gliederung des Ennianischen Epos erreicht zu haben", adsentiri non possum. Nobis enim apparuit numerum XII apud Gellium vitiose traditum esse et Fabii præconium, etiamsi in libro XII legeretur, in tali epilogo, qualem vult Vahlenus, exstitisse minime esse necessarium.

Quoniam vidimus infirma esse argumenta, quibus fretus Vahlenus autumavit Ennium Annales XIII—XVIII ultimo vitae triennio absolvisse, non mirabimur, si quae ex hac sententia conclusit, aeque reicienda esse apparebit. Videamus quae scripsit pag. 36: »Da drei Jahre für sechs Bücher ausreichend waren, werden für zwölf Bücher zehn Jahre nicht zu gering sein, und lassen wir den Ennius um den Anfang der siebenziger Jahre des sechsten Jahrhunderts mit seiner epischen Dichtung beginnen, möchte der Ansatz kaum einem erheblichen Bedenken begegnen", et pag. 37 legimus: »Wenn Ennius nicht lange nach 570 (184), als er die Mitte der fünfziger Jahre überschritten hatte, Hand an sein episches Werk gelegt hat (auch Naevius hat das Bellum Punicum in seinen späten Jahren gedichtet), so konnte er für 15 Bücher und darüber den Stoff übersehen und auf die Bücher vertheilen etc."

Vix dicere opus videtur haec quoque pugnare cum Ciceronis loco, quem ex oratione pro Archia citavi, e quo apparet libros I—XV ante annum 184 scriptos esse. Alias quoque ob causas fieri non posse, ut Ennius tot annos natus epos scribere coeperit, apparebit infra.

Vahleno iudice si hoc teneres Ennium non ante annum

184 Annalium initium fecisse, sententiam tuam stabilire posses fragmento, quod iam citavimus [1]):

Additur orator Cornelius suaviloquenti
Ore Cethegus Marcus Tuditano collega
Marci filius . . . . . .
. . . . is dictust ollis popularibus olim,
Qui tum vivebant homines atque aevum agitabant,
Flos delibatus populi suadaeque medulla.

Si enim faceremus librum nonum, in quo secundum Vahlenum hi versus exstiterunt, annis fere viginti quinque post Cethegi consulatum (204), anno igitur 179, scriptum esse [2]), verba *ollis popularibus olim* satis superque explicata essent, ut videtur Vahleno. Meo tamen iudicio haec verba aeque perspicua vel, si hoc mavis, obscura sunt, sive libros I—XV ante annum 184 (librum IX ergo, e.g., anno 188) scriptos esse, sive post illud tempus putas. Mihi hisce verbis indicari videtur Ennium recentioris esse saeculi sibi visum esse, et mox postquam Romam venit, linguam latinam recreasse, et propterea tempus, quod nondum viginti abhinc annos erat, procul abesse hominesque, qui tunc vivebant, linguamque, qua utebantur, priscioris esse aetatis ei videri [3]). Quam sententiam stabiliri puto ipsius poetae verbis, quae attulit Cicero (Brutus 19, 76; 18, 71; Orator 47, 157; 51, 171; de div. I, 50, 114). Sunt versus editionis Muellerianae 226 sqq.:

. . . . . scripsere alii rem
Vorsibus, quos olim Fauni vatesque canebant;

1) De hoc fragmento vide etiam pag.

2) Vahlenus plane inutiliter observavit librum IX post annum 196, quo mortuus est Cethegus, scriptum esse. Hac de re nemo umquam dubitaverat.

3) In literis belgicis similia observari possunt.

Cum neque Musarum scopulos . . . . . .
. . . . nec dicti studiosus quisquam erat ante hunc. [1])
n o s ausi reserare . . . . . .

Huc facere duos locos Ciceronis quoque, quos legimus in Bruto, § 60 et § 78, puto. Verba describere libet: »Illius (i. e. Cethegi) autem aetatis qui sermo fuerit ex Naevianis scriptis intelligi potest. His enim consulibus (Cethego et Tuditano), ut in veteribus commentariis scriptum est, Naevius est mortuus." »Iam enim (i. e. C. Sulpicii Galli aetate, qui anno 166 consul fuit) erat unctior quaedam splendidiorque consuetudo loquendi; nam hoc praetore ludos Apollini faciente, cum Thyesten fabulam docuisset, Q. Marcio Cn. Servilio consulibus mortem obiit Ennius."

Si quaeritur, quomodo numerus XII apud Gellium l.l. mutandus sit, statim hoc responderi potest: »aut in XVI, aut in XVII, aut in XVIII"; nam libri I—XV ante annum 184 scripti sunt.

Baehrensius in XVI mutavit. Putat igitur anno demum 172 Ennium opus suum continuasse eumque principio in animo habuisse libro XV epos claudere. Poetam ob causam peculiarem librum XVI scripsisse e Plin. n. h. VII, 28, 101 patet, ubi legimus: »Q Ennius T. Caecilium Teucrum fratremque eius praecipue miratus p r o p t e r e o s sextum decimum adiecit annalem." Quo de loco infra disputandum erit. Tunc una videbimus non verisimile esse librum XVI anno demum 172 scriptum esse.

Restat ergo, ut numerorum XVII et XVIII alterum probemus. L. Mueller putat e Plinii verbis citatis apparere

---

1) Vulgo pronomen *quisquam* e versu 4 in praecedentem transtulerunt, post vocabulum *scopulos* posuerunt versumque verbo *superarat* supplerunt. Quam incerta sit haec ratio, quam nulla traditio defendit, dicere supervacuum est. cf. Bergk, Kl. Schr. I, p. 273 sqq.

librum XVI separatim in lucem esse editum, ergo librum XVII novo prooemio praeditum fuisse; porro Ennium anno 172 denuo Annales continuasse et librum XVII scripsisse, quia tunc manifestum esset bellum Persicum appropinquare, quod poeta in carmen suum recipere vellet. Cum tamen anno 169 poeta mortuus sit, illius belli narrationem absolvere non potuit. In libri XVII prooemio poeta de aetate sua egisse videtur L. Muellerio et fortasse lectorem allocutus esse his verbis: »iam annos sexaginta septem natus sum [1]); sed satis firmum me sentio ad epos meum continuandum."

Mueller in hoc rerum contextu fragmentum posuit, quod tradidit Cicero Cat. M. 5, 14:

> Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
> Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.

Ennium hisce versibus de se locutum esse ex iis patet, quae Cicero addidit: »equi fortis et victoris senectuti comparat suam."

Baehrensius in Fleck. Ann. 1882, p. 402, pro *sicut* legendum esse *hic ut*, quod Mueller et Valmaggius in editionibus suis receperunt, comprobare studuit. Pronomen *hic* poetam designat, ut in versu: »nec dicti studiosus quisquam erat ante *hunc*." Necessariam hanc mutationem esse ut concedam, Baehrensii argumenta mihi persuadere non potuerunt.

In hisce versibus, si in libri XVII prooemio exstiterunt, aliquid mutandum esse nemo non videt. Nonne enim mirum esset, si poeta opus continuaturus se compararet equo, qui saepius victoria in curriculo reportata senecta confectus tandem merito donatur otio? Nullus igitur dubio,

1) Mueller, Q. Ennius p. 187, observat Ennium fortasse scripsisse: „annos uno plus undecies sex." Potuit etiam: „annos septem et decies sex."

quin Mueller iure *nunc* in *non* mutaverit [1]). Si *nunc* retinetur, hos versus in perfecti operis fine, ubi poeta lectori valedicit, exstitisse quivis perspicere debet.

Iam Columna [2]) hos versus cum Sophoclis Electrae comparavit sequentibus (25 sqq.):

> ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενὴς, κἂν ᾖ γέρων,
> ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν,
> ἀλλ' ὀρθὸν οὖς ἔστησεν, κ. τ. λ.

His quoque verbis Muellerii emendationem comprobari, licet ipse non viderit, negari non posse puto.

Etiam rerum contextus in quo Ennii versus apud Ciceronem leguntur, non *nunc*, sed *non* poscit. Videamus modo, quae Cicero l. l. scripsit: »Sua enim vitia insipientes et suam culpam in senectutem conferunt; quod non faciebat is, cuius modo mentionem feci, Ennius: sicut fortis equus e. q. s." Fieri non posse puto, ut in verbis poetae, quae Cicero ad opinionem suam comprobandam citavit, contendatur senectute homines enervari.

Ut iam dixi, versus illi optime in fine libri XVIII exsistere potuerunt (tunc *nunc* servandum esse observato non opus est), si poeta ibi lectoribus valedixit. Ennio ibi aptam occasionem praeberi, ut de se deque sua aetate loqueretur, facile est intellectu. Tunc cum Merula apud Gellium l. l. pro XII legendum sit XVIII (*duodevicesimum* pro *duodecimum*). Tamen quominus hac via progrediamur multa prohibent. Nam primo Ennius anno 172 non ingenii socordia ignaviaque a labore deterrebatur, ut

---

1) Valmaggius neque auctoris nomine allato neque e coniectura natum monens *non* recepit.

2) Q. Ennii poetae vetustissimi quae supersunt fragmenta ab Hieronymo Columna conquisita, disposita et explicata. Neapoli 1590. — cf. p. 215.

testari potest Cic. Brut. 78, quem locum pag. 16 iam exhibui. Deinde in versibus, de quibus agimus, *nunc* in *non* mutandum esse docet rerum contextus, in quo apud Ciceronem leguntur, ita ut iam hanc solam ob causam fieri nequeat, ud ad eam Annalium partem referantur, ubi poeta lectori valedixerit. Postremo non verisimile est Ennium carmen suum absolvisse.

Cum igitur, ut infra demonstrabo, liber XVI ante annum 172 scriptum esse constet neque veri sit simile Ennium eo anno, tribus ante mortem annis, epos libro XVIII finivisse, nihil restat, quam ut cum Muellerio statuamus poetam anno 172 in libro XVII scribendo versatum esse, hunc librum prooemio praeditum fuisse, apud Gellium l. l. ergo numerum XII esse mutandum in XVII.

In eadem disputatione Vahlenus fuse (p. 18—35) de librorum XV et XVI argumentis disseruit et ea, quae Bergkius, Havetus, L. Mueller (quorum conclusiones Baehrensius et postea Valmaggius quoque, quod ad summam attinet, approbaverunt) de illis proposuerunt, impugnavit.

Ut iam Merula perspexit, liber XV praecipue bellum, quod M. Fulvius Nobilior anno 189 contra Aetolos gessit, enarrabat, in qua expeditione Ennius ducem illum comitatus est; cf. Cic. Brut. 79: (»Q. Nobilior Marci filius) qui etiam Q. Ennium, qui cum patre eius in Aetolia militaverat (?), civitate donavit." Veri simile est tunc Annalium partem iam in lucem editam fuisse (secundum Muellerium libros I—VI), qua poeta innotuerat, eumque a Fulvio in provinciam ductum esse, ut rebus gestis adesset celebraretque eas postea [1]). Nec solum in carmine, quod in-

1) Quod factum esse Auct. Inc. de viris illustribus 52 memorat: „M. Fulvius consul Aetolos proeliis frequentibus victos et in Ambraciam oppidum coactos in deditionem accepit — de quibus triumphavit. Quam victoriam, per se magnificam, Q. Ennius, amicus eius, insigni

scriptum erat Ambracia, sed etiam in libro Annalium XV locum sibi invenerunt illae.

Praeterquam quod, quae e libro XV nobis servata sunt fragmenta, sine dubio in obsidii Ambraciensis descriptione olim legebantur, vel sic veri est simile apud Ennium quo-

---

laude celebravit." Cicerone auctore Cato Fulvio obiecit, quod Ennium secum duxisset; cf. Tusc. Disp. 1, 2, 3: „quamquam est in Originibus solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus, honorem tamen huic generi non fuisse declarat oratio Catonis, in qua obiecit ut probrum M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset. duxerat autem consul ille in Aetoliam, ut scimus, Ennium."

Fulvium artium liberalium amantem fuisse neque igitur propter gloriam suam solum Ennii amicitiam coluisse loci docere possunt, quales sunt Cic. pro Archia 27: „Iam vero ille, qui cum Aetolis Ennio comite bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consecrare" et Eumenius pro inst. schol. Aug. p. 195 (ed. Arntz.): „Aedem Herculis — Musarum in Circo Flaminini Fulvius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit non id modo secutus, quod ipse literis et summa Poetae amicitia duceretur, sed quod in Graecia cum esset imperator acceperat Herculem Musagetem esse comitem ducemque Musarum. Idemque primus novem signa, hoc est omnium Camoenarum, ex Ambraciensi oppido translata sub tutela fortissimi numinis consecravit e. q. s.' In hisce verbis legendum esse puto *summi Poetae amicitia* (id quod iam Merulam vidisse postmodo in Ennii vita, quam editioni suae praemisit, animadverti). Cicero quoque, de Or. I. 198, Ennium *summum* dixit poetam.

Cum Livius 40, 51 censoris Fulvii (179) opera enumerans illud templum non commemoraverit et praeter Cic. pro Arch. l. l. Plinius quoque, n. h. 35, 10, 66 („Zeuxis fecit et figlina opera, quae sola in Ambracia relicta sunt, cum inde Musas Fulvius Nobilior Romam transferret') indicare videtur Fulvium Ambracia reversum templum, quod nominavimus, consecrasse, Eumenius eum censoria pecunia id fecisse contendens erravit. — De hoc templo vid. Becker, Handbuch der Röm. Alterthümer I, p. 612 sq. (ed. 1843).

Cadere in Fulvium, quae docent versus notissimi:

> Adde quod ingenuos didicisse fideliter artes,
> Emollit mores, nec sinit esse feros,

e Livio 38, 9, 13 sq. patet, ubi legimus: „Signa aenea marmoreaque et tabulae pictae, quibus ornatior Ambracia, quia regia ibi Pyrrhi fuerat, quam ceterae regionis eius urbes erant, sublata omnia avectaque. *nihil praeterea tactum violatumve.*

que ita, ut apud Polybium, Livium, Florum, post belli Antiochi anno 189 finiti narrationem statim esse subsecutam eodem anno gesti Aetolici memoriam. Plurane in eo narrata fuerint, nescimus; sed non veri esse simile hinc sequitur, quod Ennius in rebus gestis, quibus ipse adfuit, describendis multus profecto fuit. Hoc admitto triumphum, quem anno demum 187 celebravit Fulvius et Livius quoque (39, 4 sq.) fuse descripsit, ab Ennio in eodem libro commemoratum esse; cf. L. Mueller, Quintus Ennius, p. 177.

Praeter fragmenta, quae sunt:

Malos diffindunt; fiunt tabulata falaeque. [1])

Occumbunt multi letum ferroque lapique
Aut intra muros aut extra praecipe casu. [2])

Arcus ubi aspicitur, mortalibus quae perhibetur. [3]),

a Macrobio duo etiam loci ex hoc libro citantur, de quibus Vahlenus, ex parte certe, nova quaedam protulit.

Apud Marcobium, Saturn. VI, 2,30 (ed. L. Janus) legimus haec: »Sunt alii loci plurimorum versuum quos Maro in opus suum cum paucorum immutatione verborum a veteribus transtulit. Et quia longum est numerosos versus ex utroque transscribere, libros veteres notabo, ut qui volet illic legendo aequalitatem locorum conferendo miretur." Post locum Aeneidos cum Naevii belli Punici comparatum in hunc modum pergit (32): »Item de Pandaro et Bitia aperientibus portas locus (IX, 672 sqq.) acceptus est ex libro *quinto decimo* Ennii, qui induxit Histros duos in

1) Nonius 114. — *diffindunt* est Merulae emendatio pro *defindunt*, quam omnes editores posteriores receperunt.

2) Prisc. I 281. — Hoc fragmentum, ut et id quod praecedit, ad Ambraciae oppugnationis narrationem referendum esse iam Merula vidit.

3) Prisc. I 259.

obsidione erupisse porta et stragem de obsidente hoste fecisse."

Alter locus exstat Saturn. VI, 3, 1 sqq.: »Sunt quaedam apud Virgilium quae ab Homero creditur transtulisse: sed ea docebo a nostris auctoribus sumpta, qui priores haec ab Homero in carmina sua traxerant.

Homerus de Aiacis forti pugna ait (Π, 102 sqq.):

Αἴας δ' οὐκέτ' ἔμιμνε· βιάζετο γὰρ βελέεσσι
δάμνα μιν Ζηνός τε νόος, καὶ Τρῶες ἀγαυοὶ,
βάλλοντες· δεινὴν δὲ περὶ κροτάφοισι φαεινὴ
πήληξ βαλλομένη καναχὴν ἔχε· βάλλετο δ' αἰεὶ
κὰπ φάλαρ' εὐπολήϑ'· ὁ δ' ἀριστερὸν ὦμον ἔκαμνεν,
ἔμπεδον αἰὲν ἔχων σάκος αἰόλον· οὐδ' ἐδύναντο
ἀμφ' αὐτῷ πελεμίξαι, ἐρείδοντες βελέεσσιν·
αἰεὶ δ' ἀργαλέῳ ἔχετ' ἄσϑματι· κὰδ δέ οἱ ἱδρὼς
πάντοϑεν ἐκ μελέων ῥέεν ἄσπετος, [1] οὐδέ πῃ εἶχεν
ἀμπνεῦσαι, πάντῃ δὲ κακὸν κακῷ ἐστήρικτο.

Hunc locum Ennius *in quinto decimo* [2] ad pugnam Caelii tribuni his versibus transfert:

Undique conveniunt, velut imber, tela tribuno:
Configunt parmam, tinnit hastilibus umbo,
Aerato sonitu galeae. sed nec pote quisquam
Undique nitendo corpus discerpere ferro.
Semper adundantes [3] hastas frangitque quatitque.
Totum sudor habet corpus, multumque laborat,
Nec respirandi fit copia: praepete ferro [4]
Histri tela manu iacientes sollicitabant.

---

1) Apud Homerum vulgo: πολὺς ἔρρεεν.

2) Parisinus praebet: „in XII."

3) *adundantes* est coniectura Castricomii, teste Merula, pro tradito *habundantes*.

4) L. Mueller comparat Aen. IV, 71: volatile ferrum.

Hinc Virgilius eundem locum de incluso Turno gratia elegantiore composuit (IX, 806 sqq.):

> Ergo nec clipeo iuvenis subsistere tantum
> Nec dextra valet: obiectis sic undique telis
> Obruitur strepit adsiduo cava tempora circum
> Tinnitu galea et saxis solida aera fatiscunt,
> Discussaeque iubae capiti, nec sufficit umbo
> Ictibus, ingeminant hastis et Troes et ipse
> Fulmineus Mnestheus. tum toto corpore sudor
> Liquitur et piceum (nec respirare potestas)
> Flumen agit, fessos quatit aeger anhelitus artus."

Columna auctore (ed. p. 182) »in hoc (i. e. XV) annali Histricum bellum describi, non solum ex his, quae supersunt, carminibus colligi potest, verum confirmatur etiam Macrobii auctoritate." [1]) Nos tamen compertum habemus in libro XV bellum Aetolicum descriptum esse ita, ut fieri nequeat, ut bellum Histricum, quod annis 178—177 gestum est, ibi narratum sit.

Merula bellum Histricum ad librum XVII referendum esse putans, in altero, quem e Macrobio citavi, loco legit: »Ennius in *septimo decimo*," nomen *Caelii* in *C. Aelii* mutans. »Si aliquod (sic scribit pag. 596), certe hoc poetae nostri fragmentum certissimam invenit sedem. Nam tribunus apud Ennium est, quem C. Aelium nominat Livius, quique corrupte Macrobio Caelius vocatur".

Aliter de priore Macrobii loco iudicat. »Frustra (p. 501) sunt, qui, Histrorum hoc loco mentione injecta, putant hoc libro descriptum bellum Histricum. Potuerunt enim

---

1) Cum Columna facit Ribbeckius; cf. Die römische Tragödie im Zeitalter der Republik, pag. 210, n. 297: „Dass Ennius auch im 15. Buch seiner Annalen denselben Stoff (sc. belli Aetolici res gestas) ausführlich behandelt habe, wie Vahlen (lege: Merula) annimmt, bezweifle ich. Sicher gehört diesem Buch nur der Istrische Krieg (576,178) an."

Histri eo tempore etiam Ambraciae, quam obsederat consul Romanus, fuisse, inter copias auxiliares."

Putat igitur in Ambracia obsessa Histros adfuisse et apud Macrobium libri numerum »quinto decimo" recte traditum esse [1]).

Ad Histros, quos Ambracia erupisse existimat, refert quod a Servio in Aen. IX, 678 servatum est, ἀκροτελεύτιον: »succincti corda machaeris." De Pandaro et Bitia, quos a Virgilio descriptos esse ad Histrorum illorum Ennii exemplum monet Macrobius, Virgilius dixit IX, 677 sq.:

> Ipsi intus dextra ac laeva pro turribus adstant
> Armati ferro et cristis capita alta corusci.

Ad verba »armati ferro" Servius adnotavit: »Aut bene instructi armis: aut, ut Asper dicit, ferrea corda habentes, id est dura et cruenta cogitantes: ut Ennium sit secutus qui ait: succincti corda machaeris."

Mihi explicatio, qua Asper Servio auctore verba *armati ferro* explanavit, nimium contorta esse videtur. Si una ad verba *cristis capita alta corusci* attendimus, nemo verbis *armati ferro* talem attribuet significationem; quam omnino ea habere posse nego. Praeterea nemo, si Ennianus de duobis illis Histris locus superesset et verba *succincti corda machaeris* in eo exstarent, et tunc Virgilianum de Pandaro et Bitia compararemus, observaret locutionem *armati ferro* a Virgilio scriptam esse ad Ennii *succincti corda machaeris* exemplum. Tunc potius etiam verba *freti armis* (v. 676) conferres.

---

1) Quam serviliter Spangenbergius, qui anno 1825 Annalium fragmenta et Naevii Belli Punici reliquias Lipsiae in lucem edidit, Merulam secutus sit, egregie nosci potest ex iis, quae in eius editione, pag. 158 adn. ad V. 4, leguntur: „Histri inter copias auxiliares Ambracienses erant; teste Merula." Videlicet Spangenbergius eum historiae Romanae scriptorem duxit.

Non tamen obloquerer, si quis frustulum illud ad Histros illos referre vellet, dummodo Servio quoque auctore Virgilius locum de Pandaro et Bitia scribens colores ab Ennii duorum Histrorum a Macrobio memoratorum descriptione petivisset. Quod cum e Servii verbis elici nequeat, persuadere mihi non possum, ut credam Servium locutione *armati ferro* ad Enniani *succincti corda machaeris* exemplum usum esse Virgilium dicturum fuisse, nisi Asperi explicatio *(ferrea corda habentes)* eum Ennii versiculi monuisset.

Qua ex argumentatione non hoc efficias volo omnino non fieri potuisse, ut verba illa de duobus Histris adhiberentur; sed me demonstrasse puto nullum esse argumentum, quo fretus id accipias.

In editione sua Vahlenus fragmentum »Undique conveniunt, velut imber, tela tribuno: e. q. s." in librum XVIII recepit, quia in eo bellum Histricum descriptum esse putabat. In uno igitur loco Macrobii numerum XV in XVIII mutans (ut Merula in XVII), in altero retinuit, quamquam res ei incerta esse videbatur, quod Histrorum, quos Macrobius adfert, neque in Ambraciae oppugnatione neque omnino in annali XV mentio esse potuerit. »At cum res ipsa quam Macrobius refert, adprime in Ambraciae obsidione conveniat (cf. Livius 38, 6, nisi quod ibi nihil de singulari duorum eruptione), numerum quidem libri a Macrobio adlatum verum arbitror, errorem autem ipsius ut puto Macrobii in Histrorum nomine residere (Quaest. Enn. pgg. LXXIV sq.)".

Locum Ennii, quem voluit Macrobius, egregie ad Ambraciensis oppugnationis descriptionem quadrare Vahleno facile concedere possumus: nam cuiuscumque obsidii narrationi aptus est. Neque ad Vahleni sententiam comprobandam Livii, quod citavit, caput valere puto. Ibi enim totius praesidii eruptio narratur, quam Aetolorum auxiliares, qui in urbe aderant, peragebant, ut com-

posuerant cum exercitu Aetolico, qui extrinsecus eadem nocte Romanos invaderet. Melius etiam c. 5, 5 comparare posses, ubi de obsessis dicitur: »ad hoc eruptionibus et nocturnis in custodias operum et diurnis in stationes ultro terrorem inferebant". Ad quarum eruptionum numerum etiam referri posset quod de Histris a Macrobio narratur.

Porro fragmentum »succincti corda machaeris" Merulam »non inepte" ad duos Histros retulisse putat Vahlenus, »nisi quod Macrobio nimium confisus tunc forte inter auxiliares Ambraciae Histros quoque fuisse adsumit."

Bergkius [1]), qui primus bellum Histricum annis 178 177 gestum in annali XVI describi debuisse demonstravit, in utroque Macrobii loco XV numerum mutavit in XVI.

L. Mueller in editione sua has mutationes tamquam suas proposuit. Is quoque cognoverat bellum Histricum in libro XVI exstitisse. Ut apparet ex iis, quae in commentarii, quem editioni suae adiecit, prooemio scripsit (p. 173), ei non fuerat copia annalium philologicorum partis 83, anno 1861 editae, qua continentur Bergkii studia Enniana.

L. Havetus [2]), qui cum Bergkio bellum Histricum in libro XVI tractatum esse contendente facit, unde plura etiam conclusit, de quibus infra agemus, fragmentum quidem, quod apud Macrobium 6, 3, 1 legimus, in librum XVI recipit, sed altero loco numerum XV recte traditum esse demonstrare conatur. Pag. 37 legimus haec: »M. Bergk penche pour l'hypothèse d'une altération de chiffre, par la raison que, s'il s'agissait du siège d'Ambracie, Macrobe eût dû nommer cette ville et ne pas dire *in obsidione* tout court. Cette raison ne paraît pas convaincante: *in obsidione* équivaut à *in quadam obsidione*, et, dans ce

1) Kleine Philologische Schrifte I, p. 252 sqq.

2) Bibliothèque de l'école des hautes études (1878), p. 21 sqq.: „L'Histoire romaine dans le dernier tiers des Annales d'Ennius."

sens, n'a plus besoin de complément; si l'on rejette cette explication, le complément *Nesactii* [1]) ne serait pas moins indispensable que le complément *Ambraciae.*"

Quamvis concedendum sit, ubi eruptionis a duobus Histris in obsidione aliqua perfectae mentio fit, primum de obsidione, quam Histri subierunt, cogitari, hac in re igitur de Nesactii oppugnatione, tamen Haveti argumentationem minime levem esse arbitror.

Porro contendit apud Macrobium nihil mutandum esse sumendumque Ambraciae Histros adfuisse, etiamsi Livius nihil nobis de auxilio ab Histris Aetolis misso tradiderit. Id quod defendere conatur locum afferens e Floro, quem invenimus 1, 26 (= II, 10): »Histri sequuntur Aetolos, quippe bellantes eos nuper adiuverant." [2]) Quo ex loco efficit Histros anno 189 Aetolis opem tulisse et, dum una ad Macrobii verba attendit, Ambraciae, cum obsidebatur, Histros adfuisse. Qua de re quomodo iudicandum sit dicendi infra occasionem habebo.

Havetus quoque Merulam, quod attinet ad fragmentum »succincti corda machaeris," verum vidisse putat.

Vahlenus, ut novimus, iam tum, cum editionem suam curabat, in priore Macrobii loco Ambraciae quidem obsidionem designatam esse cum Merula putabat, verum in *Histrorum* nomine errasse Macrobius ei videbatur. In disputatione autem, quam tractamus, Flori locus, quem Bergkius et Havetus indicaverunt, ei persuasit facile fieri potuisse, ut Histri Ambraciae obsidionis tempore adessent. Merulae nomine non nuncupato pag. 19 scripsit haec: »Macrobius nennt den Namen der Stadt nicht, deren Belagerung er meint; da er aber das XV. Buch der Annalen ausdrück-

---

1) Nesactium est urbs Histrica, quam Romani anno 177 obsederunt et expugnaverunt; cf. Liv. 41,11.

2) Iam Bergkius hunc locum designavit; cf. l. l. p. 257.

lich (!) citiert, denken wir an Ambracia und lassen uns auch durch die Erwähnung der Histrier davon nicht abbringen. Dass *auxiliares* der Aetoler in Ambracia waren, sagt Livius 38, 9, 9; dass sich Histrier darunter befanden, geht aus einer Stelle des Florus hervor (est locus, quem novimus); und von Ausfällen aus der belagerten Stadt redet Livius wiederholt (38, 5 u. 6)." Et cum semel Vahleno constat Ambraciae, cum obsidebatur, Histros quoque fuisse, in altero quoque Macrobii loco libri numerum XV retinere cupit.

Videamus nunc, fierine possit, ut cum Haveto Vahlenoque statuamus in libro XV Histrorum mentionem factam esse in eo rerum contextu, in quo illi arbitrantur.

Primum haec res me admiratione afficit, quod neque Polybio neque Livio Histros tempore obsidionis anni 189 Ambraciae fuisse notum fuisse videatur. Neque magis Histros Aetolis auxilio venisse nobis tradiderunt. Livio belli Histrici causas perseqenti hoc primum profecto commemorandum fuisset Histros anno 189 Romae hostibus praesidio fuisse. Praeterea, si hoc revera factum est, cur tam diu (bellum Histricum anno 178 erupit) poenas distulerint Romani, non video.

Quaeramus, quas tumultus Histrici causas ediderit Livius. Libro 39, 55, 4 sq. legimus haec: »M. Claudius consul (183) Gallis e provincia exactis Histricum bellum moliri coepit litteris ad senatum missis, ut sibi in Histriam traducere legiones liceret. id senatui placuit. illud agitabant, ut colonia Aquileia deduceretur, nec satis constabat, utrum Latinam an civium Romanorum deduci placeret. postremo Latinam potius coloniam deducendam patres [1]) censuerunt." Cum quibus verbis non convenire caput 56, 3 censet Weissenbornius, ubi legitur: »Ex Histria

1) *Patres* post *agitabant* legere malim.

revocatus M. Marcellus exercitu dimisso Romam comitiorum causa rediit." Qua de causa Madvigius, c. 55, 5, coniecit: »id senatui *haud* placuit." Iniuria, nisi fallor. Livii enim verba explicanda esse puto in hunc modum: »senatus Claudii Marcelli consilia comprobavit, quia Aquileiam, quae urbs Venetis et Histris finitima est, coloniam deducere vellent patres." Quam ad rem perficiendam Histris prius Romanorum armorum vis sentienda erat, ne prohiberent, quominus colonia deduceretur [1]).

Weissenbornio iudice vitium a librariis commissum aut Livii certe error latet in verbis *exercitu dimisso*, quia Marcello imperium e consulatu prorogatum eique subsidium missum esset (40, 1, 6.) Me hoc non perspicere fateor libenter. Nam anno 183 exeunte Marcelli imperium peractum erat. Romam tunc comitiorum causa revocatus est: dimittit ergo exercitum.

Livius adumbrare videtur Marcellum anno 183 non diu quidem in Histria fuisse, sed brevem illam praesentiam suffecisse ad incolas placandos et deterrendos, ne Romanis Aquileiam coloniam deducentibus obstarent. Cui opinioni convenienter Marcellum anno 182 nihil contra Histros moliri videmus. Semel modo in huius anni rerum gestarum memoria de eo mentionem fecit Livius; 40, 16, 4 sqq. legimus cum Ligurum duobus fere milibus eum colloqui, qui »ad extremum finem provinciae Galliae, ubi castra Marcellus habebat, venerant, uti reciperentur orantes."

Histri rursus memorantur 40, 18. 4. Anno 182 exeunte L. Duronio praetori Apulia sorte evenit. »Et, ait Livius, Histri adiecti, quod Tarentini Brundisinique nuntiabant maritimos agros infestos transmarinarum navium latrociniis esse." Propter ea, quae 40, 42 de Duronii rebus gestis narrantur, animus inclinat, ut in verbis »Histri adiecti"

1) Causas, cur Histri id facturi essent, invenire potes apud Liv. 21, 25, 2; 10, 1, 7.

vitium latere arbitrer sive a librariis sive ab ipso Livio admissum. Ibi enim legimus Duronium anno 180 cum decem navibus ex Illyrico Brundisium rediisse eumque, cum Romam venisset inter exponendas res, quas ibi gessisset, haud dubie in regem Illyriorum Gentium latrocinii omnis maritimi causam avertisse: ex regno eius omnes naves esse, quae superi maris oram depopulatae essent. Ubi quoniam Histrorum mentio non facta est, proponere velim, ut 40, 18, 4 legamus: »Et *Illyrii* adiecti e. q. s."

In annum 181 Galliae imperium obtinuit Q. Fabius Buteo praetor (40, 18, 4). Livius 40, 26 narrat Marcellum tradito exercitu Fabio, postquam Romam rediit, ibi dixisse exercitum, qui in Gallia esset, in Ligures traduci non posse, ut proconsulem L. Aemilium, qui a Liguribus obsideretur, liberaret, »quia bellum cum Histris esset prohibentibus coloniam Aquileiam deduci: eo profectum Fabium, neque inde regredi bello inchoato posse."

Aquileia autem anno 181 colonia latina deducta est; cf. Liv. 40, 34. Qua ex re non temere suspicari licet Histros a Fabio in tempus certe placatos esse.

In annum 180 Fabio imperium prorogatum est; cf. Liv. 40, 36, 13. Contra Histros eo anno aliquid suscepisse eum e Livio non apparet. Neque magis in anni 179 rerum descriptione illius gentis facit mentionem.

40, 59, 4 narratur in annum 178 consules creatos esse M. Iunium Brutum et A. Manlium Vulsonem. Qui quas provincias obtinuissent procul dubio in libri 41 initio deperdito tradiderat Livius. E belli Histrici, quod eo anno exarsit, narratione apparet Manlio Galliam, Bruto Liguriam evenisse; cf. Liv. 41, 5, 5 et 9. Quae huius belli proximae fuissent causae, in eadem libri 41 parte expositum esse veri est simile. Fortasse Histri tumultuosi rursus aliquid contra coloniam modo deductam moliti erant, ut consul in perpetuum ditioni Romanae eos subicere necessarium duceret.

Quamvis haud magni sint momenti res, ad quas belli Histrici annis 178/177 gesti causas quaerentes pervenimus, hoc profecto inde efficere licet, causam illam quam edidit Florus, fabulae quam historiae similiorem esse. Si Histri Aetolis anno 189 opem tulissent, prius poenas dedissent, quam anno demum 178.

Porro Livius 41, 1, 1 quoque indicare mihi videtur Histros non multo ante annum 178, certe non iam anno 189 negotia exhibuisse Romanis. Ibi enim legimus: ». . . . . a patre in pace habitam armasse eoque iuventuti praedandi cupidae pergratus esse dicebatur [1]). Consilium

---

1) Cum hisce verbis L. Mueller comparavit versum, quem Festus 278 s.v. regimen ex Annalium libro XVI citavit:

Primus senex bradyn in regimen bellique peritus,

in quo verba *senex bradyn* cum Merula in *nec bradus* mutanda esse putat; quae coniectura mihi admodum adridet. Ennium igitur adiectivi *bradus*, quo Plautus aliique usi sunt, formam Graecam adhibuisse videmus. Ad locutionem *bradus in regimen* explicandam et defendendam comparare velim Dion. Cass. fr. CXVIII ὅτι Ὀκταούϊος φύσει βραδὺς ἦν πρὸς τὰ πολιτικά.

Bergkius (Kl. Schr. I, p. 258) *Bradylis* proposuit pro tradito *bradyn in*. Comparat nomen Illyricum *Bardylis*. „Malheureusement, iure Havetus l.l. p. 38 observavit, on ne voit pas comment construire *regimen*." Ergo Havetus quoque quae Bergkius ad versum explicandum addidit, probare non potuisse videtur. Bergkius l. l. p. 259 scripsit haec: „Ist meine Conjectur richtig, dann wird *peritus* einmal mit dem Accusativ, dann mit dem Genitiv verbunden; obwohl ich kein Beispiel der erstern Structur kenne, ist dieselbe doch durch bekannte Analogien gesichert." Quae ne imprudenter scripserit, vereor. Nam si iure statuisset apud Ennium ab adiectivo *peritus* pendere posse accusativum, nostro versu *regimen bellumque peritus* scripsisse poetam expectandum esset.

Baehrensius versum recte traditum esse et *Bradyn* nomen esse proprium putabat.

Iam anno 1842 pro *bradyn in* Bergkius coniecerat *ratus in*. Adiectivo *ratus*, nisi fallor, eandem significationem tribuerat, quam habet in versu, quem Festus 274 servavit:

Occiduntur ubi, potitur ratus Romulus praedam,

ubi *firmus* valet. Quam coniecturam Vahlenus in editione sua recipiens

de Histrico [1]) bello cum haberet consul e. q. s." Livium hoc loco de Histrorum regulo, qui c. 11, 1 *Aepulonis* nomine designatus est, locutum esse facile credimus viris doctis. E Livii verbis efficere patrem Aepulonis, qui nondum ut videtur grandis natu erat, non multo ante mortuum esse quam bellum inchoaretur (a. 178), non quidem oportere, sed tamen licere arbitror.

Ut pag. 46 vidimus, Vahlenus Haveto Histros Ambraciae obsidionis anni 189 tempore fuisse contendenti adsensus est, quam opinionem adstruere conatus est observando Livio 38, 9, 9 auctore *auxiliares Aetolorum* Ambraciae fuisse. E sequentibus apparebit, quam perperam his verbis usus sit. Obliviscitur enim Ambracienses non esse Aetolos.

---

versum ad Philopoemenem pertinere putabat. In disputatione anno 1886 edita pro *bradyn* legit *bradys*, quam mutationem iam C. O. Mueller, ad Festum 279 annotans: „Mihi nihil mutandum videtur, nisi *bradyn* in *bradys* sive *bradus*", proposuerat. — Cum paucis aliis fragmentis, quae e libro XVI tradita sunt, nostrum versum componit Vahlenus sub hoc titulo: „Ein Kriegsrath, in welchem ein kriegserfahrener Greis vor zu raschem Handeln zu warnen, ein jugendlicher Heisssporn dem Alten entgegen zu reden scheint" (p. 26). Sic enim fragmenta libri XVI, prorsus ad arbitrium, in quinque divisit partes; e. g.: „Auf eine Belagerung weisen:

> Montibus obstipis obstantibus, unde oritur nox.
> Quos ubi rex epulo spexit de contibus celsis.
> Qui clamor oppugnantis vagore volanti."

Cur versus priores obsidium aliquod spectent, a Vahleno doceri velim. Ergo ei post dispositionem illam scribenti: „Man möchte glauben, wenn der rechte Funke einfiele, müsste alles hell erleuchtet werden" diu hanc „scintillam" exspectatum iri non sine iusta causa contendas licet.

1) In hisce verbis *Histrico* postea a librario aliquo additum esse puto. In deperdito enim libri 41 initio proxime ante partem superstitem de gente Histrica deque causis belli mox erupturi scripsit Livius Adiectivum *Histrico* post libri initium deperditum adiectum esse videtur ab aliquo, qui lectorem praemonere vellet, quodnam bellum scriptor narraturus esset. Eodem modo 41, 12, 1 ubi legimus: „Sub Histrici finem belli apud Ligures concilia de bello haberi coepta", ante vocabulum *bello* inseri potuisset adiectivum *Ligustino*, si verba, quae ante *concilia de bello e. q. s.* leguntur, intercidissent.

Livius 38, 3, 9 narrat Ambraciam se Aetolis contribuisse. Ergo ad famam oppugnationis *Ambraciae* Stratum edicto Nicandri praetoris convenerant *Aetoli*, ubi consultarent, quid sibi ad *sociam* urbem adiuvandam faciendum esset. Cum mille expeditis Eupolemus Ambraciam profectus per nondum commissa inter se munimenta Romanorum urbem intravit. Nicander ad depopulandam Acarnaniam iter convertit. Inde Stratum cum rediisset, spem nactus solvendae incepto forti obsidionis Nicodamum quendam cum Aetolis quingentis Ambraciam intromittit.

Cum igitur postea, ubi Livius urbis deditionem narravit, legimus Ambracienses prius pactos, ut *Aetolorum auxiliares* sine fraude emitterent Romani, portas aperuisse, verba, quae inclinatis litteris reddenda curavi, significare censeo *auxiliares Aetolicas*, non *copias*, *quas gentes externae* (e. g. *Histrica*) *Aetolis auxilio miserant*. Id quod nemo non videt, ut opinor.

Prudenter igitur agimus, si Flori locum nullius facimus pretii, et statuimus eum hoc unum spectasse, ut a bello Aetolico ad bellum Histricum apte narrationem traduceret.

Ut pag. 28 sq. iam observavimus, Vahlenus, cum semel ei persuasum esset in libro XV Ennium Histrorum mentionem fecisse, fragmentum quoque »undique conveniunt, velut imber, tela tribuno: e. q. s.", quod apud Macrobium e libro XV traditum est, in eodem libro collocandum sibi esse putavit. Et quia Ennianus ille locus a Macrobio cum Virgiliano componitur, qui in eodem rerum contextu exstat, in quo Pandarus et Bitias illi memorantur, apud Ennium duos illos Histros Ambraciensi porta erumpentes et tribunum Caelium tali vinculo inter se conexos esse, quali Pandarum Bitiamque et Turnum castra Troiana invadentem apud Virgilium scimus, censet. Ergo ut apud Virgilium Pandarus et Bitias Troianorum castrorum portam

aperiunt, ut Latinos alliciant, et Turnus, postquam irrupit, ad extremum multitudine oppressus pedem referre debet, sic Vahleno iudice accipiendum est apud Ennium duos Histros porta aliqua Ambraciae aperta Romanorum stragem fecisse, quibus intra muros se recipientibus Romanos quoque nonnullos, inter quos Caelium tribunum, irrupisse et hunc Histrorum numero petitum esse.

Videmus tamen, id quod Vahlenus ipse animadvertit, Macrobium duorum scriptorum locos inter se comparantem non satis accurate versari. Nam Histri duo erumpentes et Pandarus Bitiasque, qui portas aperiunt ad Latinos alliciendos, partes agunt plane diversas. In cultus igitur habitusque descriptione Virgilius Ennium imitatus erit. Neque magis sumendum est Caelium urbem aliquam invadentem hostium numero petitum esse. Nam etiam, si in planitie id factum est, Virgilius Turni pugnam pingens colores Ennianos adhibere potuit.

Praeterea admodum mirum mihi videretur, si praecipue Histri fuissent, qui Caelium intra Ambraciae muros aggressi essent. Tum si Histri in illa obsidione tales partes egissent, nonne Polybius Liviusque id commemorassent?

Ergo etiamsi Vahleno concedere vellemus (fieri id non posse videbimus infra) duos Ennii locos, quos Macrobius nobis tradidit, vinculo aliquo inter se coniunctos esse, quia id de Virgilianis, quos Macrobius cum illis comparavit, constat: in libro XV lectos esse mihi quidem non persuasit.

Quanto studio incensus sit Vahlenus, ut omnia, quae e libro XV servata sunt, fragmenta in narrationem, quam de Histris illis Ambracia erumpentibus et de Caelio cum Histrorum multitudine pugnante sibi finxit, insereret, ex iis patet, quae scripsit p. 25: »Da bei Virgil in der *pugna inclusi Turni* (Aen. 9, 800 sqq.) die Iris entsendet wird, böte sich für die entsprechende Darstellung der *pugna Caelii*

tribuni bei Ennius auch eine Gelegenheit für unseren Vers." Spectat versum a Prisciano traditum:

Arcus subspiciunt, mortalibus quae perhibentur.

Sic enim Vahlenus legendum esse censet.

Apud Virgilium a Iove Iris ad Iunonem mittitur »haud mollia iussa ferens ni Turnus cedat Teucrorum moenibus altis." Num ergo Vahlenus putat apud Ennium Iovem Histrorum misericordia permoveri, ut Iunonem per Iridem iubeat Caelium ex urbe removere? Et Caelium ipsius Iunonis tutela usum esse? Nescio, quid alioqui Vahleni verba sibi velint.

Mea sententia hic versus documento est Ennium de expeditione, cui ipse adfuit, fuse scripsisse.

Nunc perpendamus, quae Vahlenus de libri XVI argumento et de conclusionibus, ad quas alii in hoc argumentum inquirentes pervenerunt, in medium protulerit.

Bergkius anno 1861 (Kl. Schr. I, p. 252 sqq.) primus monuit in versu, quem Festus 330 e libro XVI [1]) servavit:

Quos ubi rex ...pulo [2]) spexit de cotibus celsis,

si confertur cum Ennii frusto, quod Varro VI, 82 tradidit: *vos* [3]) *epulo postquam spexit* (uterque verbi simplicis *speciendi*, quo scriptores antiqui utebantur, exemplum exhibet), legendum esse:

Quos ubi rex *Epulo* spexit de cotibus celsis

1) In C. O. Muellerii editione numerus VI scriptus est. Adnotavit editor: „Sexto decimo vg. Hinc apud Merulam est XVI, 20. Sed rex Burrus erat, de quo lib. VI dicebatur." Keilius codices XVI numerum praebere pro certo affirmavit.

2) *pulo* vel *sulo* praebent codices ita, ut ante p (s) una littera legi nequeat.

3) Baehrensius iure scripsit: „*(q)uos* Epulo e. q. s."

et nomine illo Epulonis indicatum esse regem Histrorum, quem Livius 41, 11 *Aepulonem*, Florus 2, 10 *Apulonem* (sic enim praebere codices Bambergensem et Heidelbergensem auctor est Vahlenus) dixerunt, unde in libro XVI bellum Histricum, quod annis 178/177 gestum est, descriptum esse effecit.

Observo apud Merulam p. 571 legi:

»Jacobus Schegkius in Praemessis, Epistula III:

Vos *Epulo* postquam spexit de cotibus celsos.

Vel ad Festi scripturam:

Quos ubi rex *Epulo* spexit de cotibus celsos.

Emendationis hic suae rationem subscribit eruditam."

Schegkii librum inspiciendi mihi non data est occasio; tamen ex *Epulonis* littera maiuscula conicere velim iam Schegkium de Histrorum rege cogitasse.

Merula legebat *paullo;* Vahlenus in editione sua *populos* proposuit et ita, ut Merula, quem tamen non nominavit, in hoc versu vestigium superesse narratiunculae, quam Livius 40, 21 tradidit, credebat. Ibi leguntur haec: »cupido eum (i. e.: Philippum, regem Macedoniae) ceperat in verticem Haemi montis adscendendi, quia vulgatae opinioni crediderat Ponticum simul et Adriaticum mare et Histrum amnem et Alpes conspici posse; subiecta oculis ea haud parvi sibi momenti futura ad cogitationem Romani belli." »Licet Livius, inquit Vahlenus, Quaest. Enn. p. LXXVI, l.l. 22 dicat: »nihil vulgatae opinioni degressi inde detraxerunt, magis credo ne vanitas itineris ludibrio esset quam quod diversa inter se maria montesque et amnes ex uno loco conspici potuerint", tamen nihil inpedit, quominus Ennium credamus cecinisse Philippo rem, quam expeteret, contigisse."

Praeter haec, nisi fallor: 1° apud Varronem l. l. *Epulonis*

nomen exhibetur [1]); 2° apud Festum l. l. ante *pulo* una tantum littera intercidit auctore C. O. Muellerio; 3° molestia gravissima, quam Bergkius l. l. p. 252 indicavit: »Abgesehen davon, dass alle Beziehungen auf König Philippus, die Vahlen und andere in den Bruchstücken dieses Buches zu finden glauben, höchst unsicher sind, passt in dem angenommenen Zusammenhang der Ausdruck *populos* ganz und gar nicht: wenn der Blick von einem hohen Berge die Ferne überschaut, werden wohl Berge und Thäler, Meer und Flüsse, Städte und Weiler, aber nirgends, wenn mich meine Erinnerung nicht trügt, *populi* erwähnt." Cf. notam quoque ad hunc locum.

In disputatione sua Vahlenus opinionem illam missam fecisse videtur. Pag. 32 enim vidimus, in quonam rerum contextu nostrum versum exstitisse postea arbitratus sit. Quomodo tamen explicandum censeat, libenter cognoscere velim.

Bergkius postquam semel statuit — et iure, ut puto — in libro XVI haud dubie bellum Histricum descriptum fuisse, in Macrobii locis, de quibus agimus, pro XV numerum XVI posuit (iam pag. 26 monui), id quod eo magis comprobandum est, cum in libro XV Histrorum mentionem fieri non potuisse demonstraverimus.

Quia apud Livium in belli Histrici descriptione T. et C. Aeliorum tribunorum militum bis mentio facta sit (41 : 1, 7 et 4, 3), apud Macrobium Caelii tribuni nomen in C. Aelium [2]) mutandum esse et hunc tribunum eundem esse atque alterum eorum, quos Livius nominaverit, contendit. Qua de causa, statim videbimus.

1) Apud Varronem fragmentum nostrum aliter quidem citatum invenimus, quam apud Festum. Sed utrumque eundem Ennii versum voluisse quivis perspicit.

2) Merulam ei hac re praeivisse pag. 23 apparuit et Bergkius ipse, l. l. p. 256, monuit: „sehr glücklich hat der treffliche Merula den Fehler verbessert und die Beziehung auf den Istrischen Krieg erkannt."

Apud Plinium n. h. 7, 101 legimus haec: »Fortitudo in quo maxima exstiterit immensae quaestionis est, utique si poetica recipiatur fabulositas. Q. Ennius T. Caecilium Teucrum fratremque eius praecipue miratus propter eos sextum decumum adiecit annalem." Bergkius fratribus, quos Plinius commemoravit, partes agendas fuisse in bello Histrico, utpote quod libro XVI descriptum sit, statuit; et quandoquidem a Macrobio fortis tribunus nominetur, qui in illo bello gloriam sibi pepererit, isque Bergkio auctore idem sit atque alter e duobus tribunis homonymis, quos Livius in illius belli descriptione nuncupaverit, apud Plinium pro *Caecilium* scripsit *Aelium*.

Havetus nomen *Caelii* apud Macrobium recte traditum esse contendit. Ergo apud Livium legendum esse *T. et C. Caelii* et apud Plinium *T. Caelium Teucrum* censet. »Comme les noms de *Caelius* et de *Caecilius* sont fréquemment confondus dans les manuscrits, rien n'est plus naturel que de considérer le tribun cité par Macrobe comme identique à l' un des deux frères cités par Pline" [1]).

Vahlenus pag. 28 ad Bergkii et Haveti conclusiones alludens »blendende Einfälle" illas dicit. Equidem non video, cur temerarium sit, si quis fretus versu:

Quos ubi rex Epulo spexit de cotibus celsis,

quem Festus e libro XVI citavit, contendat in hoc Annali bellum Histricum descriptum esse, et deinde Livii, Plinii, Macrobii locos laudatos inter se congruentes reddere studeat.

Id quod conclusiones, ad quas Bergkius et Havetus pervenerunt, probabiliores etiam reddit: L. Mueller quoque suo Marte, quod ad summam rei attinet, eadem fere

1) Similem nominum permutationem invenimus apud Plin. n. h. 7,50. Cf. etiam Priscian. I 270 H, ubi pro *Hostius* exstat *Hostilius*.

assecutus est, quae Havetus. Vahlenus quidem, pag. 30, post Bergkii et Haveti opiniones commemoratas scripsit: »Man sieht, fur Hrn. Müller war hier nichts mehr zu erfinden, nur noch zu prahlen und zu schimpfen", sed Muellerio scribenti [1]): »Bei der Entlegenheit meines Wohnorts konnte es leicht geschehen, dass mir, trotz seiner grossen litterarischen Hülfsquellen, manches auf Ennius bezügliche nicht in die Hände kam. Doch hoffe ich nichts wesentliches übergehen zu haben. — Sollte ich etwas als mein Eigenthum geben, was schon Andere gefunden, so bitte ich jeden das ihm Gebührende zurückzunehmen. Der Spruch des Donat ‚pereant qui ante nos nostra dixerunt' hat niemals meine Billigung gefunden", fidem denegare non licet. In eodem libro pag. 179 legimus: »Dass bei Livius der Name des Königs *Aepulo* geschrieben ist, wird niemand gegen m i c h geltend machen." Nimis insolens esset, si talia scripsisset, cum iam Bergkii et Haveti studia Enniana nota haberet.

Quia apud Plinium *Caelii* nomen facile *Caecilii* nomine, quod multo saepius reperitur, loco suo moveri poterat, equidem cum Haveto, ut apud Livium *Aelius* in *Caelius* mutetur, suadeo; nam apud Livium non solum *Aelius* saepius ocurrit, quam *Caelius*, sed tempore belli Histrici hoc nomen paene non invenitur; praeter historiarum scriptorem Livius unum modo virum huius nominis exhibet (43, 21). Praeterea e verbis *T. et C. Caelii* altera *C* littera facile excidere poterat.

Vahlenus omnibus modis demonstrare conatur bellum Histricum in libro XVI decriptum non esse. Sic pag. 30, n. 2 scribit: »Auch kleine Indicien sind mitunter nützlich. In der (aus dem XV. Buch citierten) pugna Caelii kommt der Vers vor:

Totum sudor habet corpus multumque laborat.

1) Quintus Ennius, Vorwort pag. IX.

Aus dem XVI. Buch angeführt wird

Tum timido manat ex omni corpore sudor.

Wird beides zusammen dem XVI. Buch und demselben Zusammenhange angeeignet (wie in der neuesten Ausgabe zu sehen ist), so möchte manchem bedünken, das sei des Schweisses zuviel auf einmal."

Verba »die neueste Ausgabe" spectant L. Muellerii editionem. Nemo autem, cui haec editio aliquatenus nota sit, nescit Muellerium fragmenta, quae simile argumentum tangunt, coniungere solere, e qua ratione tamen minime concludendum est illo auctore ea in eodem rerum contextu occurrisse. Quin etiam fragmentum, quod e certo libro citatur, subsequuntur alia, quorum liber a scriptoribus non indicatus est, dum eandem quodammodo rem spectent. E. g. ante versum, quem Festus 375 e libro XVI servavit:

Qui clamos oppugnantis vagore volanti,

posuit versum, quem Varro VII, 104 libri numero non edito tradidit:

Clamos ad caelum volvendus per aethera vagit,

eumque excipiunt quae apud Varronem VII, 103 reperiuntur frustula:

— ∪∪ — ∪∪ — animus cum pectore latrat.
— ∪∪ — ∪∪ — ∪∪ — clamore bovantes.
— ∪∪ — ∪∪ — pausam fecere fremendi.

Vide etiam vss. 216—220.

Ceterum non video, cur fieri non potuerit, ut in eodem libro duo versus similem praebentes sententiam exstarent. Num Vahlenus Homeri carminum oblitus est? Nonne fieri potuit, ut Ennius, quem Homericum in modum in eodem libro duorum tribunorum Romanorum duorumque Histro-

rum facta narravisse iure observavit Mueller, utrumque par describens iisdem verbis uteretur?

Pag. 32, n. 2 legimus haec: »Ohne die Einmischung des Tribunen Caelius, den wir auf Grund der Zeugnisse abgesondert haben, würden wohl auch Bergk und Havet kaum auf der Indentificierung der Aelier und Caecilier bestanden haben." Sic libros complere potes! Nisi Bergkio vel Muellerio in mentem venisset apud Festum 330 *Epulonis* nomen restituendum esse, nondum ut opinor sciremus in libro XVI bellum Histricum descriptum esse. Felix illud inventum effecit, ut in utroque Macrobii loco, ubi Histrorum Ennianorum mentio fit, numerus XV in XVI mutatus sit, utque statuere potuerimus fratres illos, propter quos Ennium librum XVI ad carmen suum addidisse auctor est Plinius, in bello Histrico virtutem suam monstrasse, eosque non, ut apud Plinium traditum est, *Caecilios* appellatos esse, sed *Caelios*, cum in altero Macrobii loco de forti *Caelio* tribuno verba fiant, et postremo T. et C. Aelios tribunos militum, quos in belli Histrici descriptione bis commemoravit Livius, eosdem esse atque T. Caecilium eiusque fratrem, quos Plinius affert. Fingere possumus Plinium maiorem solum natu nomine indicasse et apud Livium maiorem natu priorem tenere locum.

Vahlenum *Epulonis* nomine, quod in versu, de quo saepius iam egimus, exstat, in angustias compelli apparet ex iis, quae pag. 42 sq. scripsit: »Ob *epulo* mit dem Nahmen *Aepulo* bei Livius, *apulo* bei Florus indentisch sein könne, wage ich weder zu behaupten noch zu bestreiten; aber nicht verkennen sollte man, dass auch wenn *rex Epulo* verstanden wird, der Vers im Uebrigen so unklar bleibt, wie zuvor; denn die versuchten Erklärungen, die ich kenne, schieben aus Eigenem in den Vers hinein, wovon in den Worten nichts steht."

Enimvero tantum non semper fragmenta in hunc modum explicanda sunt. Sed ad quemnam rerum contextum ver-

sus noster referatur, minus mea sententia interest: et Haveti (cf. pag. 54, n. 1) et L. Muellerii explicatio (cf. pag. 47) defendi potest. Sed maximi momenti est Epulonis nomen in fragmento, quod e libro XVI citavit Festus, detectum. Nam hoc nomen in XVI Annali bellum Histricum narratum esse demonstrat.

Equidem non miror Vahlenum acriter sententias impugnare, secundum quas bellum Histricum ad librum XVI referendum sit. Cum enim e Plinii loco appareat poetam novum librum carmini suo adiecisse ad Caelios fratres celebrandos, qui, quoniam ille liber bellum Histricum tractaverit, in hoc bello fortitudinem suam non ostentasse non possunt, sine dubio constat Ennium non multo post illud bellum finitum librum XVI scripsisse, »da sonst die Tapferkeit der beiden Kriegstribunen Gefahr lief vergessen zu werden (Mueller, Quintus Ennius, pag 134)." Id quod Vahlenus, ut novimus, concedere nequit, quippe qui librum XVI post annum 172 scriptum esse arbitretur.

In libro XVI res descriptas esse, quae multo post eas, quas in libro XV narravit Ennius, gestae sunt, conici potest e versu, quem in libri XVI prooemio exstitisse verisimile est; fragmentum volo, quod Festus 257 nobis tradidit:

Quippe vetusta virum non est satis bella moveri [1]),

unde hoc quoque sequitur librum XVI satis magno temporis spatio post librum XV scriptum esse, cui rei convenienter hic ante annum 184, ille non multo post annum 177 in lucem est editus.

Sic Plinii quoque locus melius intelligitur. Ennius enim

1) Merula *moveri* vitiosum esse putabat et in *monere* mutabat. Quamquam editores posteriores lectionem traditam defenderunt omnes, tamen, nisi quod *moneri* legere malim, Merulae adsentior. Nam *bellum movere* nihil aliud significare potest, nisi fallor, quam *bellum incipere;* cf. Liv. 23, 48.

post tumultus Aetolici descriptionem carmen suum continuaturus non erat, nisi virtus, quam duo illi Caelii in bello Histrico praestiterunt, eum, ut pergeret, instigasset.

Plinii quoque locum Vahleno molestias praebere intelligit, qui consideret eum Gellii illo loco, quo de egimus supra, fretum statuisse libros XII—XVIII annis 172—169 scriptos esse. Sic enim fieri non potuit, ut post librum XV perfectum opus suum diutius intermitteret poeta. [1]) Hic igitur quoque numerum XII apud Gellium l. l. vitiose traditum esse nobis apparet.

Quaerere aliquis potest, utrum res, quae annis 188—179 gestae sint, Ennius tractaverit, necne. L. Mueller putat Ennio, utpote qui bellum, quod Caeliorum causa cecinerit, non privo carmine descripserit, exordium praemittendum esse, »welche (s) die Brücke zwischen den Jahren 189—178 bot, das wichtigste, was sich in diesem Zeitraum begeben hatte, erwähnte, endlich die Veranlassung angab, weshalb er nach langem Schweigen zur epischen Dichtung zurückkehrte (Quintus Ennius, p. 181)." Porro observat poetam non sine gravibus causis illius temporis res paucis modo verbis tetigisse; cf. ibidem p. 181 sq.

Plane aliter Havetus iudicavit. Hic enim Florum res Romanas describentem Ennii epos prae oculis habuisse demonstrare studuit. Legimus l.l. p. 32: »Par une coincidence curieuse, Florus aussi raconte la guerre d'Istrie de 178 immédiatement après la guerre d'Étolie de 189; après la guerre d'Istrie vient dans son récit la guerre de Galatie, conduite en cette même année 189 par le collègue de Fulvius, Gnaevus Manlius Vulso. Florus écrivait souvent de mémoire, comme le prouvent ses nombreuses bévues." Neque multo post scripsit haec: »Il est probable qu'en

---

1) De perverso iudicio, quod Mommsenus de Plinii loco tulit, cf. L. Mueller, Quintus Ennius, p. 253 sq.

vrai rhéteur, plus soucieux de chercher des prétextes à déclamation que de poursuivre la précision historique, il disposa les faits dans l'ordre que lui suggérait le souvenir du poème d'Ennius. Ainsi dans la liste des sources de Florus il faudrait inscrire les *Annales*. C'est là peut-être qu'il avait puisé l'idée de comparer Antiochus à Xerxès." Scilicet Varro VII, 21 hunc Ennii versum servavit:

Isque Hellesponto pontem contendit in alto,

libri numero non indicato. Xerxem voluisse Ennium e verbis Varronis apparet. Merula primus contendit hunc versum ad regem Antiochum esse referendum et in libro XIII olim exstitisse. Neque incredibile est Romanos omnibus rumoribus territos (cf. Liv. 35, 23), cum Attalus, Eumenis frater, nuntiaret Antiochum cum exercitu Hellespontum traiecisse (l. l. § 10), de altero Xerxe cogitasse. Id quod praeterea patet e Floro 2, 8 (quem locum Merula primus indicavit): »Non aliud formidolosius fama bellum fuit; quippe cum Persas et Orientem, Xerxen atque Darium cogitarent, quando perfossi invii montes, quando velis opertum mare nuntiaretur." Sed non facile disceptari posse mihi videtur, Florusne comparationem, quam inter Antiochum Xerxemque instituit, ab Ennio petiverit.

Macrobius VI, 2, 32 (cf. pag. 21), ut scimus, Ennium in libro XV duos Histros exhibere ex urbe obsessa erumpentes tradidit. Havetus urbe illa Ambraciam designari putat, ad sententiam suam confirmandam Flori locum afferens, quem pag. 27 transscripsi. Hoc quoque loco Florum Ennium imitatum esse censet; cf. l. l. pag. 37: »Or, ainsi qu'on l'a vu, Florus paraît s'être inspiré du poème d'Ennius précisément à propos de la transition entre les guerres d'Étolie et d'Istrie." Me tamen demonstravisse arbitror Histros Ambraciae obsidioni non affuisse.

Cum autem apud Florum bellum, quod cum Gallograecis anno 189 gessit Gnaevus Manlius Vulso, post bellum Histricum narratum sit, Havetus Ennium annorum 188—179 res libris XVII et XVIII commemorasse contendit. »C'est dans Ennius que Florus aura puisé l' idée bizarre de raconter la campagne de Manlius après la guerre des Histres (pag. 42)." Illius enim sententia liber XVIII anno 172 scriptus est (cum Merula apud Gellium l. l. legit *duodevicesimum*). Fingit sibi Ennium anno 176 in libro XVI, annis 175 174 in libro XVII, annis 173 172 in libro XVIII scribendo versatum esse Praeterea epos poetam absolvisse, ergo post librum XVIII nihil additurum fuisse ei constat. Pag. 41 scripsit: »La première idée, qui vient à l' esprit, c' est qu' Ennius dut remplir les deux derniers livres avec les événements accomplis de 176 à 174 ou 173, bien que ces événements ne soient pas des plus importants." Itaque hoc ei non veri simile esse videtur, sed Florum spectanti, cui scribenti Ennii epos ante oculos stetisse putat, ei in mentem venit Ennium libris XVII et XVIII annorum 188—179 res enarrasse.

Praeterquam quod hoc cum operis, quale Ennii sunt Annales, natura atque indole pugnet, temere dictum esse puto res, quae annis 176—173 gestae sunt, ad duos libros complendos sufficere non potuisse. Bellum Histricum totius libri materiem praebuisse vidimus! Praeterea si cum Haveto statuis poetam anno 172 libro XVIII scribendo carmini suo finem imposuisse, una accipere potes huius libri satis magnam partem occupatam esse epilogo, in quo poeta de vita sua narraverit et lectoribus valedixerit. At si poetam post librum XVI in lucem editum aliquamdiu opus intermisisse sumis — id quod Plinii loco fretus confidenter sumere potes — eumque anno 172 carmen continuasse (tunc apud Gellium l. l. legendum est XVII), annorum 176—173 res ad librum XVII scribendum satis

materiae ei praebere potuerunt et in libro XVIII belli Persici initium descriptum esse statuas licet.

Accedit, ut non tam absurdum sit, quam videatur, Florum bellum, quod cum Gallograecis gesserunt Romani, post Histricum descripsisse. Nam belli Aetolici narratio incipit: »Syriaco bello successit, et debebat, Aetolicum." Quam narrationem belli Histrici memoria excipit, quia Histri Aetolis opem tulissent (unde id petiverit Florus, nescio). Sequitur bellum Gallograecorum: »Gallograeciam quoque Syriaci belli ruina involvit". Ergo Florum bellum Histricum aliquo vinculo cum Aetolico cohaerere arbitratum esse videmus neque igitur iam miramur Histricum ante Gallograecorum traditum esse.

Itaque num Ennium, nisi graviora accedant argumenta, Flori fontibus adnumerandum esse contendere liceat, quam maxime dubito.

Multo probabilius utique mihi videtur Ennium in libri XVI exordio praecipuas res ex iis, quae annis 188—179 gestae sunt, paucis absolvisse. Cuius temporis spatii memorem eum fuisse apparere potest e Cic. de prov. cons. 9, 21: »an vero M. ille Lepidus, qui bis consul et pontifex maximus fuit, non solum memoriae testimonio, sed etiam *annalium litteris et summi poetae voce* laudatus est, quod cum M. Fulvio conlega, quo die censor est factus, homine inimicissimo [1]), in campo statim rediit in gratiam, ut commune officium censurae communi animo ac voluntate defenderent?" [2]) Lepidum et Fulvium anno 179 censura functos esse nota est res.

Unam etiam rem non parvi faciendam praetermittere non licet. Cum Haveto et L. Muellerio accepimus tribunos militum T. et C. Aelios, quos Livius in belli Histrici nar-

1) Verba *homine inimicissimo* post *conlega* ponenda esse puto.
2) cf. Liv. 40, 45, 6; Gell. 12, 8, 5.

ratione bis nominavit, eosdem esse atque T. Caecilium Teucrum fratremque, propter quos Ennium librum XVI prioribus addidisse auctor est Plinius, eorumque alterum apud Macrobium commemoratum esse. Cum autem quae Livius de illo bello scripto mandavit, evolvis, Caeliorum fratrum eximia facta frustra quaeris. Percurramus modo Livii narrationem (41, 1—11)!

C. 1. A. Manlius consul Aquileia profectus ad lacum Timavi castra posuit. Inde ad proximum Histriae portum cum legionibus (secunda et tertia, ut videbimus) iter faciens quinque ferme milia a mari metavit castra. Eodem C. Furius, duumvir navalis, cum decem navibus magnum commeatum advehentibus se contulerat. Stationes ab omnibus castrorum partibus circumdatae: Histriam versus cohors Placentina opposita; inter mare et castra M. Aebutius tribunus militum secundae legionis duobus manipulis praeerat: T. et C. Caelii tribuni militum tertiam legionem, quae pabulatores et lignatores tueretur, via, quae Aquileiam fert, duxerant. Legio ergo secunda praeter duos M. Aebutii manipulos in castris remanebat.

C. 2. Histri, ut primum ad lacum Timavi castra Romana mota sunt, post collem [1]) occulto loco consederunt et inde obliquis [2]) itineribus agmen sequebantur in omnem occasionem intenti [3]). Duo simul praesidia, Placentinae cohortis et manipulorum secundae legionis, aggrediuntur. Nebula matutina texerat inceptum; Romani territi ingenti tumultu in castra confugiunt ibique terrore omnia complent. Prope omnes, et ipse consul, qui fugientes frustra revocare conatus

---

1) Huc versum:

Quos ubi rex Epulo spexit de cotibus celsis

quadrare contendit L. Mueller, Q. E., pag. 186.

2) Montibus obstipis obstantibus, unde oritur nox (Fest. 193).

3) Si luci, si nox, si mox, si iam data sit frux (Prisc. 724).

est, ad mare decurrunt. »Unus (ait Livius 2, 9 sq.) remansit M. Licinius Strabo, tribunus militum *tertiae* legionis, cum tribus signis *ab legione sua* relictus. Hunc in vacua castra impetu facto Histri, cum alius armatus iis nemo obviam isset, in praetorio instruentem atque adhortantem suos oppresserunt. Proelium atrocius quam pro paucitate resistentium fuit, nec ante finitum est, quam tribunus militum quique circa eum constiterant interfecti sunt."

Verba »cum tribus signis ab legione sua relictus" significare putant editores: »qui cum tribus manipulis in castris relictus erat, cum legio tertia Caeliis ducibus ad pabulatores lignatoresque tuendos missa esset." Quod si verum est, verba *ab legione sua* quin spuria sint, non dubito. Nam Licinius cum tribus manipulis relictus esse a legione sua (= door zijn legioen), cum hanc pabulatorum lignatorumque causa e castris ducere T. et Caelios iuberet consul, ut recte dici possit, vereor. Neque magis praepositioni *ab* vim »partitivam" tribui posse puto. Ergo pro *a* legendum esset *e*, si vulgata explicatio aliquatenus placeret. Sed quid refert Licinium cum tribus legionis tertiae signis in castris remansisse, cum haec legio pabulatorum causa via, quae Aquileiam fert, ducta est? [1]) Exspectamus scriptorem nos certiorem facturum esse, qui cum Licinio Histris invadentibus restiterint. Levi autem mutatione instituta id effici potest. Si enim pro *relictus* legimus *relictis*, apte sententia decurrit [2]).

Una tamen res prohibere videtur, quominus in talem

---

1) Si praeterea tria legionis tertiae signa in castris remansissent, Livius id c. 1, 7 monuisset. Contra Licinium illius legionis tribunum in castris adesse non miramur, si consideremus duos modo tribunos legionem comitatos esse, ergo ceteros, inter quos Licinium, in castris remansisse.

2) Tunc verba „a legione sua relictis" significare „quae legio sua (i. e. secunda) destituerat", non est cur moneam.

modum verba Livii immutemus et explicemus. Legimus enim c. 4, 8 e Romanis ducentos triginta septem milites periisse, quorum plures in matutina fuga quam in recipiendis castris (quae eodem die, quo amiserunt Romani, recepta esse videbimus infra). Hic igitur de Licinii eiusque comitum morte nobili non loquitur Livius, unde fortasse aliquis efficiet cum Licinio admodum paucos, certe minorem militum numerum, quam tria habent signa, restitisse. Tunc verba »cum tribus signis ab (i. e. *e*) legione sua relictus" solito more vertenda esse quivis videt. Sed cur talia commemoravisset Livius, minus perspicuum esset. Ergo aut in mortuorum numero CCXXXVII Licinium quoque cum tribus illis signis fuisse aut Livium supervacuum duxisse, postquam illos ad unum omnes oppressos esse narravisset, eorum numerum, utpote quem lector ipse computare posset, tradere, contendo.

Quae de Licinii fortitudine narrantur, tantopere conveniunt cum iis, quae Macrobius [1]) de Caelio tribuno e libro XVI citavit, ut Havetus et (post eum) L. Mueller Ennium aut Livium errorem admisisse statuerint. Apud Havetum l.l. p. 35 legimus: »Il n'est point croyable, que dans la petite guerre d'Istrie deux tribuns différents aient eu des aventures et exécuté des exploits si semblables; il faut donc croire que l'un des deux auteurs a mis un nom pour un autre." Mueller putat [2]) Ennium, ut aequalem, errare non potuisse, Licinium pabulatoribus et lignatoribus praesidio fuisse et Caelios Histris castra irrumpentibus restitisse. Id quod impugnari posse non videtur, nam nisi bellum Histricum plures occasiones fortiter pugnandi obtulerit — et secundum Livii narrationem nullam talem occasionem praeterquam in castris ab Histris expugnatis

1) Vid. pag. 22.
2) Cf. Quintus Ennius, pag. 185 sq.

oblatam esse apparebit — Haveto et Muellerio adsentiendum esse videtur.

Sed non obliviscendum est Hostium totum carmen epicum duos ad minimum continens libros de hoc bello conscripsisse, unde plura fortia facta in eo commissa esse, quam Livius commemoravit, constat.

Nunc videamus, quid egerint Histri post inexspectatam victoriam. In quaestorio omnium rerum paratam expositamque copiam et stratos lectos [1]) invenerunt. Regulus epulari coepit. Mox idem ceteri faciunt [2]) et, ut quibus insuetus liberalior victus esset, avidius vino ciboque corpora onerant.

C. 3. Lepida brevitate Livius observat: »Nequaquam eadem est tum rei forma apud Romanos." Milites in scaphas et mare territi ruunt, sed nautae metu, ne compleantur navigia, turbae obsistunt. Inde certamen, mox etiam pugna cum vulneribus et caede in vicem militum nautarumque oritur, donec iussu consulis procul a terra classis submota est. Secernere inde inermes ab armatis coepit. Vix mille ducenti, qui arma haberent, inventi sunt. Ceteri sine dubio periissent, si belli hostes meminissent. Tunc demum nuntius missus est ad tertiam legionem revocandam.

Castra non magno labore recepta sunt, quia hostes vino somnoque mersi iacebant.

C. 4. Histrorum pauci, qui modice vinosi [3]) erant, memores fuerant fugae, aliis somno mors continuata est.

---

1) Lepidam Muellerii observationem invenimus Quintus Ennius, p. 183: „Offenbar zeigten sich bei den Römern bereits damals die Folgen der nach Hrn. Mommsen höchst entsittlichend wirkenden neuen Kunstdichtung, deren Hauptvertreter Ennius war, besonders ein bedenkliches Studium seiner Hedyphagetica."

2) Quam incerta coniectura huc pertinere frustulum, quod Diomedes 378 e sexto decimo annali citavit: „prandere iubet horiturque" statuerint Mueller et Valmaggius, dicto non opus est.

3) *Vinosi* Heerwagen in suspicionem vocavit, quia significare soleat *vini cupidi*. Tentavit *vino usi*. Quamquam *vinosus* plerumque valet *vino deditus*, tamen non video, cur non aliquando pro *vini plenus* adhiberi potuerit.

Aegri quoque Romanorum milites, qui mane in castris relicti erant, armis arreptis caedem ingentem fecerunt. Insignis opera fuit C. Popillii Sabelli equitis pede saucii, qui longe plurimos hostium occidit. Rex tamen Histrorum temulentus ex convivio raptim a suis in equum impositus fugit. [1])

T. et C. Caelios, qui tertiae legioni praeerant (4, 3) in hac caede nullam habuisse occasionem ad virtutem probandam vix monendum est.

C. 5. Forte ita evenit, ut duo mercatores Aquileia cum commeatu venientes, Romanae cladis ignari prope in castra ab Histris capta inciderent. Ii cum relictis impedimentis Aquileiam refugissent, omnia terrore ac tumultu non Aquileiae modo, sed Romae quoque post paucos dies impleverunt. Statim tota Italia dilectus extra ordinem indicti. Alter consul M. Iunius Brutus e Liguribus in Galliam transgressus Aquileiam pervenit. Ibi certior factus collegae exercitum incolumem esse scriptis litteris Romam, ne tumultuarentur, ad Manlium est profectus.

Histri postquam alterum consulem cum exercitu novo advenisse audierunt, passim in civitates dilapsi sunt. Consules Aquileiam in hiberna legiones reduxerunt.

Mirum est profecto mercatores illos Aquileiam redeuntes tertiae legioni, quam via, quae ex Histrorum finibus ad eam urbem ferebat, duxisse T. et C. Caelios vidimus (cf. pag. 47), non obviam venisse eamque de alterius legionis clade non monuisse.

C. 7, 4. M. Iunius postquam comitiorum causa Romam rediit, cum in senatu eum fatigassent interrogationibus tribuni plebis Papirius et Licinius de iis, quae in Histria essent acta, in contionem quoque duxerunt. Ad quae cum

---

1) Huc non inscite Havetus fragmentum retulit, quod Servius in Aen. XI, 19 libri numero non addito servavit: „rex deinde citatus convellit sese" Notandum est L. Muellerium suo Marte idem coniecisse videri. — Valmaggium hoc inventum iniuria Muellerio tribuisse observo.

consul se dies non plus undecim in ea provincia fuisse responderet, quae se absente acta essent, se quoque, ut illos, fama comperta habere, exsequebantur deinde quaerentes, »quid ita non potius A. Manlius Romam venisset, ut rationem redderet populo Romano, cur ex Gallia provincia, quam sortitus esset, in Histriam transisset; quando id bellum senatus decrevisset, quando populus Romanus iussisset," et vituperabant, quod tam imprudenter et ignave bellum gestum esset.

E quibus apparet hostilia anno 181 coeptata (cf. pag. 30) non diu permansisse, id quod (ibidem) iam coniecimus, et ergo in concilio a Manlio ante bellum initum (41, c. 1) habito non iniuria nonnullos consulendum prius senatum censuisse.

C. 8. In annum 177 consules creati sunt C. Claudius Pulcher et Ti. Sempronius Gracchus. Sardiniam provinciam consularem factam Gracchus sortitus est, Claudio Histria evenit. Unde sequitur Livium 6, 2 consulibus anni praecedentis imperium *in annum* prorogatum esse narrantem erravisse. Nam caput octavum Claudium Histriam obtinuisse et Galliam Scipioni et Laevino praetoribus contigisse docet. Fortasse igitur 6, 2 pro *in annum* legendum est *in tempus*. Nam prorogatum Manlio et Bruto imperium esse e capitis X initio apparet.

Ceterum hoc quoque vitiosum esse videtur, quod iam capite octavo de provinciis, quas consules sortiti sunt, mentio facta est. Nam c. 9 ita incipit, tamquam illam rem nondum Livius attigerit. Ibi legimus: »Provinciae *deinde*, quae in bello erant, Sardinia atque Histria decretae." Iam Perizonius ante *decretae* inseruit *consulibus*, quod aegre desiderari puto. Sed non minus necessarium duco in capite octavo verba »Gracchus eam sortitur, Histriam Claudius" deleri.

C. 10. M. Iunius et A. Manlius proconsules principio veris anni 177 in Histrorum fines exercitum introduxerunt. Histri indignabantur, quod Romani omnia diriperent, et

quamquam certam spem satis sibi virium adversus duos exercitus fore non habebant, ex omnibus populis iuventus concurrebat, quae tamen acrius quam perseverantius pugnavit [1]). Ad quattuor milia caesa; ceteri omisso bello in civitates passim diffugerunt. Inde legatos primum ad pacem petendam in castra Romana, deinde obsides imperatos miserunt. Quae cum Romae cognita litteris proconsulum essent, C. Claudius consul veritus, ne forte ea res provinciam et exercitum sibi adimeret non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, praeceps in provinciam abiit, ubi imprudenter se gessit. Consulibus probra obiecit adversis auribus militum et utrumque provincia decedere iussit. Cum illi tum consulis imperio obtemperaturos se esse dicerent, cum is more maiorum solitis ceremoniis peractis ab urbe esset profectus, furens ira catenas poposcit vinctos se Iunium Manliumque Romam missurum minitans. Sed cum nemo eius imperium respiceret, nave eadem, qua venerat, Aquileiam rediit. Inde collegae scripsit, ut militum novorum ei parti, quae scripta in Histriam provinciam esset, ediceret, Aquileiam ut conveniret, ne quid se Romae teneret. Claudius prope consecutus est litteras suas. Romae non ultra triduum moratus solemnibus rite perpetratis aeque ac prius praecipiti celeritate in provinciam abiit.

C. 11. Paucis ante diebus Iunius Manliusque oppidum Nesactium, quo se principes Histrorum et regulus ipse Aepulo receperat, summa vi oppugnare coeperant.

Infecta igitur pace legati Histrorum (c. 10, 4) dimissi esse videntur. Mirum est Livium hac de re nihil narrasse.

Ad illam urbem Claudius duabus legionibus novis adductis, vetere exercitu cum suis ducibus dimisso, ipse oppidum circumsedit.

Ergo Caeliis nostris nulla iam occasio praeberi poterat, ut

1) Fieri potest, ut in hac pugna Caelii fratres virtute excellerent.

in bello Histrico praeclarum aliquod factum perpetrarent.

Claudius amnem moenia urbis praeterfluentem, qui Histris aquationem praebebat, novo alveo avertit [1]). Quae res barbaros miraculo terruit; sed ne tum quidem memores pacis [2]) in caedem coniugum ac liberorum versi sunt. Inter complorationem feminarum puerorumque milites oppidum intrarunt. Quod expugnatum esse ut rex accepit, traiecit ferro pectus, ne vivus caperetur. Auctores belli [3]) virgis caesi et securi percussi sunt. Histria tota obsidibus datis in dicionem venit.

Si autem bellum Histricum talem habuit decursum, qualem e Livii narratione cognovimus, non amplam carminis epici materiam praebuisse facile est intellectu. Haec tamen non obliviscenda sunt: primum Plinium Ennii librum XVI spectantem locutum esse de »poetica fabulositate," deinde bellum Histricum dignum visum esse, quod carmine heroo celebraretur, quia Hostius, Lucilii aequalis, proprium poema de eo composuerit [4]), unde non

---

1) Ennium hanc rem narrantem versum adhibuisse:

Quos ubi rex Epulo spexit de cotibus celsis

contendit Havetus. *Quos* eos spectat, qui in flumine avertendo versati erant. Havetus tantopere se verum vidisse persuasum habet, ut l. l. pag. 34, n. 2 scripserit: „Ces rochers sont à noter pour retrouver l'emplacement exact de Nésactium."

2) Livius omnino oblitus esse videtur se modo (10, 4) memorasse Histros non multo antea legatos ad Romanos, qui de pace cum iis colloquerentur, misisse.

3) Quod de *belli auctoribus* verba fecerit Livius, documento esse puto bellum a Romanis non susceptum esse propter opem ab Histris anno 189 Aetolis latam.

4) Fortasse Hostius Ennii Annalem XVI ante oculos habuit, cum bellum suum Histricum scripsit. Conferri possunt Hostii versus, quos Macr. VI, 3, 6 tradidit:

– ∪∪ – ∪∪ – ∪∪ – non si mihi linguae
centum atque ora sient totidem vocesque liquatae.

cum Ennianis, quos Schol. Bern. in georg. II, 43, 4 servavit:

Non si lingua loqui superet, atque ora decem sint
In me e. q. s.

temere conicere possis Livii huius belli descriptionem admodum compendiariam esse (hic illic minus accuratam esse vidimus), postremum Livii narrationem in nullo iam manuscripto superesse [1]). Quibus de causis non mirandum est Livii narrationem cum opinione, quam de bello Histrico e Plinii et Macrobii locis laudatis mente comprehendimus, non convenire. Qua ex re fortasse concludi licet Ennium Livii fontibus non adnumerandum esse.

Quamquam Ennium multa aliter depinxisse, quam rerum scriptor fecisset, facile credo, tamen quod Annales perierunt etiam propter historiam summopere est lugendum. Non enim obliviscendum est res, quas in libris VIII—XVIII narravit Ennius, eo vivente gestas esse eumque cum clarissimis suae aetatis viris artissimis amicitiae vinculis coniunctum fuisse.

Sed iam disputationi meae finem imponere libet. Me demonstrasse puto Vahlenum sententias, ad quas Bergkius, Havetus, L. Mueller, quod attinet ad librorum XV et XVI argumenta, pervenerunt, diluere conantem tota via erravisse.

Sequitur brevis conspectus argumentorum Annalium, quos supra attigi. In libro VII igitur Ennius descripsit bellum Punicum primum, in libris VIII—X bellum Punicum secundum, in libris XI et XII bellum Philippi et Graeciam liberatam, in libris XIII et XIV bellum Antiochi, in libro XV Aetolicum, in libro XVI, praeter res annis 188—179 gestas, quas paucis absolvisse eum puto, bellum Histricum, in libris XVII et XVIII res annis 176—172 gestas et belli Persici initium.

---

1) Nota est res libros XLI—XLV uno modo codice traditos esse, qui anno 1527 in monasterio, quod „Lörsch" appellatur, apud urbem Augustam Vanglorum inventus hoc tempore Vindobonae servatur. Hosce libros typis describendos primus curavit Simon Grynaeus in Frobenii editione anni 1531. Tunc iam libri XLI initium desiderabatur; nunc insuper manuscripti folia, quae c. 1—9, 10 [*edic-*]*tum consulis* praebebant, desunt.

AD PROPERT. III, 3 (ED. BAEHRENS).

Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
Bellerophontei qua fluit humor equi,
Reges, Alba, tuos et regum facta tuorum,
Tantum operis, nervis hiscere posse meis,
Parvaque [1]) iam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit
Et cecinit Curios fratres et Horatia pila
Regiaque Aemilia vecta tropaea rate
Victricesque moras Fabii pugnamque sinistram
Cannensem et versos ad pia vota deos
Hannibalemque Lares Romana sede fugantes
Anseris et tutum voce fuisse Iovem:
Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra: e. q. s.

De hisce versibus Vahlenus in disputatione »Ueber die Annalen des Ennius" pag. 5, n. 1 scripsit haec: »Neuerdings ist die alte Meinung aufgefrischt worden, dass dies fast ebensoviele Bruchstücke aus Ennius' Annalen wie Verse seien (?). Damit aber nicht bei v. 8 Jemandem ein Bedenken komme, wird an den Seetriumph des Aemilius Regillus erinnert (Liv. 37, 30, 58). Wer Livius vergleicht

1) Iniuria L. Muellerium pro *parvaque* coniecisse *pronaque* puto. Poetae elegiaci *parva* ora aptissime *magnis* carminis heroi fontibus opponuntur.

45, 35, 3 »Paulus ipse post dies paucos regia nave ingentis magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant, ornata Macedonicis spoliis non insignium tantum armorum sed etiam regiorum textilium, adverso Tiberi ad urbem est subvectus completis ripis obviam effusa multitudine", wird geneigter sein mit den alten Erklärern an Aemilius Paulus und den Sieg bei Pydna zu denken, nur dass dieser nicht bei Ennius vorkam. Aber obwohl das meiste von dem, was in den Versen 7—12 erwähnt ist, aller Wahrscheinlichkeit nach auch in Ennius' Annalen nicht gefehlt hat, so bedarf es doch nur aufmerksamer Betrachtung des Gedichtes von Anfang an, um zu erkennen, dass Propertius keinen Auszug aus Ennius' Epos hat geben wollen."

Ne nunc quidem Vahleno assentiri possum. Nam versu 7 pro tradito *cecinit* cum »Italis" legit *cecini* (quod e coniectura natum esse non monuit). Tamen Propertium post *visus eram* et *admoram* scripsisse *cecini* numquam mihi persuadebit. Praeterea sententiam illa mutatione pessumdari quivis videt. Propertius enim designare vult se iam in eo fuisse, ut ex Hippocrena biberet, cum Phoebus ab incepto se deterreret. Si iam carmen heroum cecinisset, id quod *cecini* indicaret, Phoebi admonitio omni sensu careret. Ergo *cecinit*, quod praebent codices, quam maxime retinendum esse censeo.

Porro pro *tam* (v. 5), quod ante *magnis* positum mihi quidem valde displicet, sed a Vahleno probari videtur, cum Guyeto et Heinsio *iam* legendum est. Sic enim apta nascitur sententia: »Iam parva mea ora magnis fontibus admoram, cum Phoebus e. q. s."

Praeterea admodum mirum esset, si Propertius non alias res, quam quas Ennius quoque in Annalibus commemoravit cecinisset. Musa, quae eum compellat (v. 39 sqq.) et adhortatur, ne bella canat, de Marii pugnis et de bellis in Germania gestis loquitur.

Cur vs. 8 de Aemilii Pauli potius triumpho (167), quam de Aemilii Regilli (189) [1]) cogitandum sit, non perspicio. Propertius enim de *Aemilia navi* loquitur. Pauli autem triumphum ea potissimum re, quod regis Persei navi Tiberi adverso subvectus est, vulgi ora convertisse et Livius (cf. p. 57) et Eutropius, 4, 4 docent, qui scribit: »Romam cum ingenti pompa rediit in nave Persei, quae invisitatae magnitudinis fuisse traditur". Ergo poetam erroris accusat, qui eum Pauli triumphum voluisse putet, quippe quem Ennius in carmen suum recipere non potuerit.

1) Hunc triumphum designasse Propertium iam Merula vidit; cf. ed. p. 556. Eum vs. 8 *cecinit* legisse, per se intelligitur.

AD FABII PRAECONIUM.

(Cic. Cat. M. 4, 10.)

Unus homo nobis cunctando restituit rem.
Noenum rumores ponebat ante salutem.
Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.

De versus tertii explicatione aliquid in medium proferre libet, de quo Vahlenus disputationis saepius citatae pag. 7 talia exhibuerit, ut si ea in ipso ortu oppressisset prudentius eum acturum fuisse existimem.

Enunciati enim structuram omnino negligens versum explicare conatus est in hunc modum: Nunc (= tempore quo scribit poeta) viri gloria claret postque (= multo post tempus, quo vixit Fabius) magisque (sc. quam antea). »*Nunc gloria claret*, ait Vahlenus, ist die Hauptgedanke und *nunc* wird, wie es Stellung und Verbindung der Worte verlangt (?), durch *postque magisque* gehoben: ‚daher jetzt sowohl (lange) nachher als auch mehr noch sein Ruhm erglänzt'. Wenn ich aber so den Sinn des Ennianischen Verses richtig deute, so ergiebt sich, dass das Lob weder dem lebenden noch dem eben gestorbenen Fabius galt, sondern die Verse geraume Zeit nach Fabius gedichtet sind, wie es der Fall ist, wenn sie dem XII. Buch angehören und, wie dieses, nicht vor 582 (172) entstanden sind."

Plane alia via procedendum esse puto. Verba enim »viri

nunc gloria" iungenda sunt, »wie es Stellung und Verbindung der Worte verlangt", ut Vahleni verbis utar. *Nunc* pro adiectivo adhibitum est, ut in *nunc homines* apud Plautum et *semper* in *pacis semper auctor* apud Livium et *olim* in *longa olim fames* apud Tacitum (Hist. V, 4). *Claret* pro futuro positum nihil habet insoliti; conferri potest inscriptionis M. Plautii, quam ipse Vahlenus e Plin. n. h. 35, 115 citavit, versus quartus:

Quem nunc et post semper ob artem hanc Ardea laudat,

in quo *post* idem esse quod *postea*, ut in nostro versu, quivis videt.

Ennii igitur versum nihil aliud velle censeo quam haec: »Ergo gloria, qua nunc fruitur Fabii memoria, postea magis enitescet." Itaque coniecturas, quales sunt Bernaysii *plusque magisque*, Bergkii [1]) *priusque magisque*, Baehrensii *olimque magisque*, plane inutiles duco.

Praeterquam quod Vahleni explicatio cum sententiae structura pugnare mihi videtur, ineptam quoque esse existimo. Nam fac *post* significare posse *multo post* et quemvis haec legentem sponte intelligere supplendum esse in hunc modum: »multo post, quam Fabius patriam cunctando servavit", vel »multo post Fabii mortem", tamen ineptissime Ennium post Fabii magna merita commemorata laudationem suam finiturum fuisse contendo dicentem: »Ergo nunc (i. e. Vahleno auctore anno 172) multo postquam mortuus est (anno 203) magis etiam gloria claret."

Contra aptissime laudatio absolvitur hac sententia, quam ego ipsius Ennii esse duco: »Ergo gloria, qua nunc Fabii nomen exornatur, procedente tempore accrescet.

1) Kl. Phil. Schr. I, p. 282.

AD ANN. 348—353 (ED. L. MUELLER).

Bergkius (Kl. Schr. I, p. 273) in versibus, quos (Brutus 58) citavit Cicero (cf. pag. 15). inter verba *Marci filius* et *is dictust ollis popularibus olim* lacunam esse negat et cum Merula *olim* eiciendum et *ollis* post *popularibus* ponendum esse censet, quia vocalubo *olim*, quod supervacaneum esse autumat, reservato hexameter septem pedum Ennio adscribendus sit. Tamen ipse observat: »Ein Bedenken scheint allerdings dieser Restitution entgegen zu stehen: nämlich *ollis popularibus olim* findet sich in diesem Verse auch in der Stelle des Seneca bei Gellius XII, 2, 3." Sed haec molestia ei non magni momenti esse videtur; nam »Seneca hat, wie man leicht sieht, diese Verse eben aus dem Brutus des Cicero abgeschrieben; durch eine Nachlässigkeit Ciceros oder doch seiner Abschreiber war das störende *olim* hereingekommen." Quae argumentatio mihi non probatur. Nam fieri potuisse, ut *olim*, quod nostro loco peculiarem vim habere monui pag. 15, postea in textum irrepserit, nego. Praeterea pro demonstrativo *is* relativum exspectaremus.

Neque magis placent, quae praeterea apud Bergkium in eodem loco legimus: »Seneca nahm natürlich keinen Anstoss an dem fehlerhaften Verse, für seinen Zweck war ihm ein so grober Verstoss sogar willkommen, und wenn er nun den Virgil beschuldigt, dass er aus Liebhaberei

für den archaischen Stil ähnliche Verse gebildet habe [1]), so ist dies eben nur eine Bosheit, wie sie dem philosophirenden Rhetor ganz wohl ansteht." Nam si revera verba Ennii »Marci filius: is dictust ollis popularibus olim" unum hexametrum effecissent, id Senecam ex animi sententia observaturum fuisse, non est cur dicam.

Accedit, quod Senecam contendentem Virgilium versus aliquid supra mensuram trahentes interposuisse, ut Ennianus populus adgnosceret in novo carmine aliquid antiquitatis, versus hypermetros voluisse satis verisimile sit, quales sunt Virg. Georg. II, 344:

> Si non tanta quies iret frigusque caloremque
> Inter e. q. s.

et ibidem I, 295:

> Aut dulcis musti Volcano decoquit humorem
> Et foliis e. q. s.

Nam non versus septem pedum spectasse Senecam facile intellectu est, utpote quos apud Virgilium frustra quaeras.

Quamquam tales versus, quales sunt, quos e Virgilio citavi, inter Annalium quae supersunt fragmenta non exstant, tamen in partibus deperditis quin exstiterint, non est cur dubitemus. Immo Senecae verbis supra allatis pro certo constat.

---

1) Senecae verba apud Gell. l. l. sunt haec: „Virgilius quoque noster non ex alia causa duros quosdam versus et enormes et *aliquid supra mensuram trahentes* interposuit, quam ut Ennianus populus adgnosceret in novo carmine aliquid antiquitatis.

AD ANN. 428 sq. (ED. L. MUELLER).

Apud Priscianum, I 259 H, legimus haec: »Excipitur ‚arcus' quod differentiae causa quidam tam secundae quam quartae protulerunt. De caelesti enim Cicero dicens in III (51) de deorum natura in i finivit genetivum: ‚cur autem arci species non in deorum numero reponatur?' Invenitur tamen apud veteres etiam feminini generis, secundum quod bene est quartae declinationis. Ennius in XV annali:

Arcus ubi aspiciunt, mortalibus quae perhibentur."

In hoc versu *ubi* Hertzius delevit; sed quia quattuor codices *perhibetur* praebent, cum Columna, quem etiam Vahlenus in editione sua et L. Mueller secuti sunt, *aspicitur* legere malim. Mueller valde probabiliter vocabulo »Iris" enunciatum supplevit, id quod iam Spangenbergius suspicatus esse videtur, qui ad versum nostrum adnotavit (p. 157): »sc. Iris" et fortasse Columna quoque, pag. 185 adnotans: »Iridem intelligit." Vahlenus, Rhein. Mus. (1861) 16, p. 575 levissima mutatione pro *ubi aspiciunt* coniecit *subspiciunt*, quod Baehrensius et Valmaggius receperunt. Vahlenus enim putat e Prisciani verbis efficiendum esse in Ennii versu vocis *arcus* formam talem fuisse, e quali appareat quartae esse declinationis. Sed ea ipsa in re errasse videtur. Nam verba Prisciani »secundum quod bene est quartae

declinationis" ad lectores tantum monendos addita esse videntur, ne secundae vocem *arcus* esse putarent, unde sequitur ex *arcus* vocis forma, quam noster versus praebebat olim, non apparere, qualis sit declinationis. *Bene* Prisciani non *recte* valet vel *iure*, sed nostrum »*zeker wel.*" Si Ennius scripsisset: »*arcus subspiciunt* (vel *aspiciunt)*", non fuisset, cur verba »secundum quod e. q. s." addidisset Priscianus, unde sequitur cum aliquot codicibus *perhibetur* esse legendum et cum Columna *aspiciunt* in *aspicitur* esse mutandum.

Porro L. Mueller Priscianum apud veteres *arcus* etiam feminini generis inveniri dicentem erravisse et pronomen relativum genus accepisse a sequenti *Iris*, ut in versu

Est locus, Hesperiam quam mortales perhibebant

a nomine *Hesperiam* iure contendisse mihi videtur.

Quam opinionem confirmari censeo loco, quem apud Nonium in libro V »de differentia similium significationum" repperi. Legimus 425, 1: »Arcus et Arquus hoc distant: arcus enim omnis suspensus fornix appellatur; arquus non nisi qui in caelo apparet, quam Irim poetae dixerunt unde et arquati dicuntur quibus color et oculi virent quasi in arqui similitudinem. Lucretius lib. VI (526):

Tum color in nigris exsistit nubibus arqui."

Videmus Lucretium, qui saepenumero Ennium imitatus est, vocem q. e. *arcus* tamquam secundae declinationis flexisse (Lucretii quoque codices *arqui* praebent), apud eum igitur non feminini generis fuisse; praeterea apud Nonium quoque in verbis »arquus non nisi qui in caelo apparet, *quam* Irim poetae dixerunt" relativum *quam* sequentis vocis *Irim* genus accepisse.

Fortasse accipiendum est librarium aliquem Prisciani verbis »secundum quod bene est quartae declinationis" in

errorem ductum versum Ennii ita immutasse, ut vocem *arcus* secundum quartam declinatam esse appareret. Verisimile est eum scripsisse:

Arcus ubi aspiciunt, mortalibus quae perhibentur,

vocis *arcus* tunc u litteram productam esse debere non observantem, ad quod vitium corrigendum Hertzium *ubi* delevisse et Vahlenum *subspiciunt* coniecisse iam dixi.

Arcus pluralem nihil insoliti habere (id quod nemo obloquetur, ut opinor) Vahlenus sibi demonstrandum esse putavit. Citat igitur Ovid. Met. 11, 590 sqq.:

. . . . induitur velamina mille colorum
Iris, et arcuato caelum curvamine signans
Tecta petit iussi sub nube latentia regis.

et ibidem 632:

Effugit et remeat, per quos modo venerat *arcus*.

Sed in altero, quod attulit, exemplo pluralem alius naturae esse ipse Vahlenus observavit. Cur igitur citaverit, non perspicio. Sunt versus Homeri Λ 26 sqq.:

κυάνεοι δὲ δράκοντες ὀρωρέχατο προτὶ δειρὴν
τρεῖς ἑκάτερθ', ἴρισσιν ἐοικότες, ἅς τε Κρονίων
ἐν νέφε' ἐστήριξε, τέρας μερόπων ἀνθρώπων

Pluralem ἴρισσι plus unam iridem spectare non est cur moneam.

Arcus pluralem de una iride adhibitum esse nonnumquam, nemo, ut iam dixi, obloquetur, quia iris quasi e septem arcubus composita est. Sed inde non sequi semper plurali usos esse scriptores per se intelligitur.

Nostrum versum a Columna recte emendatum esse puto. Si autem L. Mueller sequentem versum a voce *Iris* initium cepisse iure statuit, tunc *arcus* nomen proprium fuisse

contendo, quod Ennius usitatiore *iris* explicaverit [1]), ergo *arcus* [2]) scribendum esse littera maiuscula, *iris*, ut nomen appellativum, minuta (hoc iam L. Muellerium in editione sua fecisse video). Sic vocabulum latinum per graecum explanari non mirum est; cf. modo versus, quos Probus ad Virg. Ecl. 6, 31 e tertio Annali citavit:

> Et densis aquila pinnis obnixa volabat
> Vento, quem perhibent Graium genus ἀέρα lingua.

---

1) Cf. Festus 325:

> Nec quisquam σοφίαν, sapientia quae perhibetur,
> In somnis vidit prius quam sam discere coepit.

2) Nonio auctore *Arquus* scribere velim.

AD PERS. SAT. VI, 9 sqq.

Loco laudato legimus haec:

> **Lunai portum, est operae, cognoscite, cives!**
> **Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse**
> **Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.**

Exemplum Columnae, Merulae, Ilbergii [1]) secutus Vahlenus in editione sua Persii verbis fretus versum primum retulit ad somnii, quod se vidisse Ennius in libri primi initio narravit, descriptionem. De quo versu Bergkius primus aliter iudicavit; cf. Kl. ph. Schr. I, p. 264, n. 23. Putat illa e verbis Persii concludi non licere. »Persius in seiner manierirten Weise konnte diese Bemerkung zu jedem beliebigen Verse des Ennius machen. Wahrscheinlich geht der Vers auf die Gründung der römischen Colonie in Pisa im Jahr 577 (177), obwohl Ennius auch schon früher diese Gegend erwähnen konnte, von der Rom bereits im Jahr 559 (195) Besitz ergriffen hatte." In hac quoque re L. Mueller ad eandem sententiam pervenit atque Bergkius; cf. Quintus Ennius, p. 139 sq. Sed iure hoc argumentum addidit, scilicet Ennium verba »Lunai e. q. s." non in libri primi initio exclamare potuisse, quia illud scribenti lectores civium nomine compellare nondum ei liceret. Et

1) Q. Ennii Annalium libri primi fragmenta emendata, disposita, illustrata. Bonrae 1852. Cf. pag. 19.

quia anno 177 Luna colonia deducta sit nostrum versum in libro XVII collocandum esse putat.

Baehrensius, Fragm. poet. Rom. p. 61, haec annotavit: »Quae verba cum aperte ad praefationis finem spectent, sed inepte statuatur ipsum Lunae portum ab Ennio, qui in Parnasso somniasse se finxit, commendatum civibus esse, sic mihi persuadeo, ea tantum quae dedi verba (sc. »est operae, cognoscite, cives!") sumpsisse Persium ex Ennio, qui Romanos ut historiam suam novo modo enarratam cognoscere vellent adhortatus sit." Quamquam Valmaggius hanc sententiam approbavit, tamen defendi eam posse nego. E verbis enim *cor iubet hoc Enni* apparet aliquid praecedere, ad quod Ennius adhortatus est. Ergo nullus dubito, quin totus versus Ennio sit adscribendus.

Mihi quoque perperam agere videtur, qui contendat Ennium se in Lunae portu notum illud somnium vidisse, in quo Homeri anima ei apparuit, narrasse et deinde exclamasse: »o cives, ille portus dignus est, quem cognoscatis!" Vocativus solus »cives!" prohibet, quominus id accipiamus. Praeterea Ennium in ea urbe fuisse, nusquam comperimus. Merula quidem p. 68 scripsit: »Verisimile est Catonem, quum Romam rediret, ex Sardinia (ibi praetura functus est et inde Ennium secum Romam duxit) in Lunae portum, qui isti provinciae adversus et in conspectu, cum doctissimo comite traiecisse: ubi quum Ennius se somno dedisset, visus est per quietem esse in Parnasso e. q. s." Sed mera haec est coniectura. Accedit, quod somnium illud ab Ennio fictum esse, postquam consilium carminis heroi Latini Homericum in modum pangendi ceperat, per se intelligatur. Quod consilium non ante ei in mentem venisse, quam cum aliquamdiu Romae vixisset, res est perspicua.

In scholio ad Pers. Sat. VI, 1 legimus: »(portus Lunae) cuius etiam Ennius in principio annalium meminit hoc versu, quem etiam Persius carminibus suis iunxit et refert

ab Ennio ablatum." Ab alio scriptum esse puto scholium primum ad vs. 10: »hunc versum ad suum carmen de Ennii carminibus transtulit. merito ergo ait: ‚cor iubet hoc Enni, postquam destertuit'."

Haec scholia transscripsi ad demonstrandum duas, quas de nostro versu viri docti conceperunt, opiniones iam olim exstitisse. Columnae enim, Merulae, Ilbergii, Vahleni iudicium in priore defenditur, in altero adumbrari videtur versum Ennii quidem esse, de loco tamen, quem occupaverit, nihil affirmatur.

Versum post annum 184 scriptum esse, ergo libro XVI aut XVII aut XVIII adscribendum esse, nemo negabit, qui sciat Ennium illo anno civitate Romana donatum esse.

Fortasse L. Mueller verum vidit.

MERULA ANNALIUM FRAGMENTORUM AUCTOR.

Utrum fontes duo [1]), e quibus multa usque ad suam aetatem ignota fragmenta ad Annales pertinentia hausit Merula [2]), ab eo ipso sint ficti, necne, nunc non dirimo. Sed duobus exemplis allatis ostendere libet, quam mirum in modum Annalium fragmenta adaugere conatus sit.

Ad Virg. Aen. VIII, 630 Servius adnotavit: »Sane totus hic locus Ennianus est." Iure hanc observatiunculam Merula ad versus 630—634 pertinere monuit. Versus sunt hi:

> Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro
> Procubuisse lupam, geminosque huic ubera circum
> Ludere pendentes pueros et lambere matrem
> Impavidos, illam tereti cervice reflexa
> Mulcere alternos et corpora fingere lingua.

Sed inepta sunt, quae pag. 190 scripsit: »Quia incertum, quo haec modo ab Ennio scripta, licentius sic mutavi:

> . . . . . geminique hinc (?) ubera circum
> Ludunt pendentes pueri . . . . . .

1) „L. Calpurnii Pisonis V. C. de Continentia veterum poetarum ad Traianum principem" et „Glossaria Gulielmi Fornerii."

2) Cf. Iosephus Lawickius, de fraude Merulae. Bonnae 1852. P. J. Blok, de fragmentis Ennianis a Paullo Merula editis. Mnemos. no. sc. XXVII, pag. 1 sqq.

In eum enim locum digitum intendit Grammaticus. (Unde Merula hoc novit?) Plura fortassean latent hic apud Virgilium; malim tamen mediam quasi ingredi viam et timiditatis insimulari potius in scrutando, quam temeritatis accusari in scribendo. Religio mihi quid quod non auctoris auctori adscribere."

Qui fieri potuit, ut Merula e versibus citatis Virgilii plane ad arbitrium aliquot verba adscripserit Ennio, nisi id ageret, ut Columnae editioni maiore fragmentorum numero sua excelleret?

Eandem eius mentem fuisse puto editionis pagina 544. Servius ad Aen. II, 241 haec habet: »*o patria.* Versus Ennianus." Quia totus Virgilii versus hic est: o patria, o divum domus Ilium et inclita bello Moenia Dardanidum, versum Ennii a Servio spectatum esse puto, qualis legitur Fabul. 169 (ed. Mueller): »o pater, o patria, o Priami domus". Non enim locutiones Servianas, quales sunt: *versus Ennianus; versus est Ennii; versus est Catulli*, hoc velle Virgilium poetas illos ad verbum imitatum esse, per se intelligitur et demonstravit L. Mueller, Quintus Ennius, p. 141. Sed Merula lectorem non monens Servium annotatione sua Virgilii verba tantum, quae sunt: »o patria", spectasse, p. 544 haec scripsit: »An ad verbum ex Ennio incertum. *Moenia Dardanidum* autem, quae apud Virgilium, mutavi ego, fidentius fortean, in *Pergama*, non alio fini, quam ut tenacius copularentur haec cum aliis, quae de Pergamis ab Ennio scripta notat Macrobius lib. VI. Satur. cap. 1:

> Quae neque Dardaniis campis potuere perire,
> Nec, quum capta, capi, nec, quum combusta, cremari".

Hoc loco quoque Merulam apud Servium consulto alia legentem, quam quae tradita sunt, fragmentorum numerum augendi cupiditati indulsisse videmus.

AD AMBRACIAM.

Ambraciam Ennii comoediis adnumerandam esse olim contendit Columna (cf. ed. p. 452 sq.), quem secutus est Vahlenus, qui Columnam non nominans, Quaest. Enn. p. LXXXI, scripsit: »Indices ac reliquiae trium tantum comoediarum hodie extant: *Ambraciae*, siquidem ea comoedia fuit, e. q. s." Nomen *Ambraciae* Columna comparavit cum Terentii fabulae titulo, qui est *Andria*. Sed cur *Ambraciae* nomine puellam Ambraciensem designatam esse admittendum sit, non video. Neque e quattuor fragmentis, quae Nonius ex Ambracia servavit, effici potest Ambraciam fuisse comoediam.

Neque magis Ribbeckio assentior, qui primus Ambraciam inter tragoedias praetextatas retulit; cf. Scenicae Romanorum poesis fragmenta (ed. sec.) I, p. 279; II (ed. pr.), p. IX sq.; die Römische Tragödie im Zeitalter der Republik, p. 207 sqq. [1]) Si enim statuimus, id quod ipse Ribbeckius quoque fecit [2]), *Ambraciam* ab Ennio scriptam esse ad Fulvii praeclara facta celebranda, non video,

1) Havetus, dubitanter quidem, cum Ribbeckio facit; cf. L'histoire rom. etc. p. 30: „l'*Ambracia*, qui paraît avoir été une *fabula praetextata* ou tragédie romaine".

2) „Auf die praetextata beziehe ich auch die Worte des Aurelius Victor de viris ill. 52: quam victoriam per se magnificam Q. Ennius amicus eius insigni laude celebravit". Quae verba ad Annalium quoque illam partem pertinere possunt, quae bellum Aetolicum enarrabat.

quomodo non accipiendum sit *Ambraciam* fuisse carmen panegyricum, quod paullo post bellum Aetolicum finitum scripserit Ennius ad patroni amicique facta divulganda, quae postmodo in Annalibus denuo cecinerit. Nam minime facio cum Ribbeckio dubitante, num poeta in libro XV quoque Annalium hanc materiam fuse tractaverit [1]). Quid enim veri sit similius quam Ennium in primario suo opere bellum, cui ipse affuerit, vividissimis coloribus pinxisse, non capio.

Fortasse versus, quem Nonius 469, 24 nobis ex Ambracia tradidit:

Béne mones tute, ípse cunctas. én vide fortem virum! [2])

viros doctos adduxit, ut Ambraciam fabulis Ennianis adnumerarent. Qui versus tamen non impedimento est, quin Ambraciam in Satyrarum libris exstitisse accipiamus. Sic Non. 470, 13 e satyr. lib. III citavit:

Nam is nón ben vult tibi, quí me falso críminat
Apút te.

Hoc fragmentum, ut et id quod praecedit, testatur in Ennii quoque satyris, ut postea in Horatianis, scenas inveniri dialogicas.

Carmen autem panegyricum, quale fuisse *Ambraciam* puto, in Satyrarum libris occurrisse minime mirandum est ei, qui notum habeat locum Diomedis (482), quem e Suetonio descripsit: »satyra dicitur carmen apud Romanos nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius. set olim carmen quod

1) Cf. pag. 23, n. 1.

2) *Cunctas* L. Mueller scripsit pro traditis *cunctato* et *cuncto*. — *En* idem addidit; *o* Baehrensius.

ex variis poematibus constabat, satyra vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius."

Ribbeckius, Scen. Rom. poes. fr. II (ed. 1), praef. p. IX, mirandum fore putat, si Ennius praetextatas non scripsisset, dum Naevius et Pacuvius tales fabulas composuissent. Praeterquam quod Ennii Sabinarum fragmenta in l. l. editione secunda ipse Ribbeckius inter praetextarum reliquias recepit, et ergo non opus est, ut Ambraciam praetextatam esse sumamus, ut hoc poeticum genus quoque coluisse Ennium appareat, Ambraciam Ennii poematis alicuius titulum invenientes statim de Fulvii victoria cogitamus; unde sequitur Ambraciam carmen fuisse panegyricum, non tragoediam, et ita, ut carmen, quod *Scipio* inscriptum est, satyrarum reliquiis adscribendum esse.

THESES.

THESES.

I.

Macrobius, Saturn. VI, 2, 27, ad versus:

> Incedunt arbusta per alta, securibus caedunt,
> Percellunt magnas quercus, exciditur ilex,
> Fraxinus frangitur, atque abies consternitur alta,
> Pinus proceras pervortunt; omne sonabat
> Arbustum fremitu silvai frondosai.

annotans: „Ennius in sexto" non erravit, ut putat Merula, qui illos versus iniuria ad librum VII retulit.

II.

Iure Merula in versu:

> Quippe vetusta virum non est satis bella moveri,

quem e libro sexto decimo citavit Festus 257, vocabulum *moveri* in suspicionem vocavit. Tamen pro *monere*, quod is proposuit, legere malim *moneri*.

III.

Quamquam versus hypermetri in Annalium fragmentis non reperiuntur, tamen tales ab Ennio adhibitos esse e Gell. XII, 2, 10 apparet.

IV.

Propert. III, 21, 11 sqq. (ed. Baehrens):

> Nunc agite, o socii, propellite in aequora navem,
> Remorumque pares ducite sorte vices,
> Iungiteque extremo felicia lintea malo:
> Iam liquidum *nautis* aura secundat iter.

Pro *nautis* legendum est *nobis*.

V.

Ibidem versus 25 sq. iniuria Lachmannus delevit.

VI.

Cicero de Off. III, 1, 1 Publium Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus sit, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, ‚numquam se minus otiosum esse quam cum otiosus, nec minus solum, quam cum solus esset.' Magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna: quae declarat illum et in otio de negotiis cogitare et in solitudine secum loqui solitum, ut neque cessaret umquam et *interdum* colloquio alterius non egeret.

Interdum, quod prima specie sententiam pessumdare videtur, tamen retinendum est.

VII.

Liv. 38, 9, 2 (Legati Aetolorum a suis) clamore et

iurgio exeepti, quam diu rem traherent, qualemcumque pacem referre iussi, cum redirent Ambraciam, Acarnanum insidiis prope viam positis, *cum quibus bellum erat*, circumventi Tyrrheum custodiendi deducuntur.

Verba *cum quibus bellum erat* deleantur.

VIII.

Liv. 40, 18, 3 sq. L. Duronio (praetori) Apulia (sorte evenit); et *Histri* adiecti, quod Tarentini Brundisinique nuntiabant maritimos agros infestos transmarinarum navium latrociniis esse.

Pro *Histri* legendum est *Illyrii;* cf. c. 42.

IX.

Liv. 41, 1, 1 — (rex Histrorum Aepulo gentem) a patre in pace habitam armasse eoque iuventuti praedandi cupidae pergratus esse dicebatur. Consilium de *Histrico* bello cum haberet consul e. q. s.

Histrico expungendum est.

X.

Ibidem § 6 M. Aebutius tribunus militum secundae legionis duos manipulos *militum* ducere iussus est.

Vox *militum* delenda est.

XI.

Liv. 41, 2, 9 Unus remansit M. Licinius Strabo, tribunus militum tertiae legionis, cum tribus signis ab legione sua *relictus.*

Pro *relictus* lege *relictis.*

XII.

Liv. 41, 6, 2 prorogatae namque consulibus iam *in annum* provinciae erant

Verba *in annum*, nisi ipse Livius erravit, mutanda sunt in *in tempus*.

XIII.

Liv. 41, 10, 1 sq. Dum haec Romae geruntur, M. Iunius et A. Manlius, qui priore anno consules fuerant, cum Aquileiae hibernassent, principio veris in finis Histrorum exercitum introduxerunt; ubi cum effuse popularentur, dolor magis *et indignatio* diripi res suas cernentes Histros, quam certa spes satis sibi virium adversus duos (esse) exercitus excivit.

Verba *et indignatio* e nota marginali orta sunt.

XIV.

Liv. 41, 11, 4 Ea res barbaros miraculo terruit abscisae aquae; *et* ne tum quidem memores pacis, in caedem coniugum ac liberorum versi e. q. s.

Pro *et* legendum est *at*.

XV.

Tac. Hist. III, 67 erat illi (i. e. Vitellio) et fessa aetate parens; quae tamen *paucis ante diebus* opportuna morte excidium domus praevenit.

Verba *paucis ante diebus* expungantur.

XVI.

Ibidem: XV Kalendas Ianuarias audita defectione legionis et cohortium, *quae se Narniae dediderant*, pullo amictu Palatio digreditur (Vitellius).

Verba *quae se Narniae dediderant* deleantur.